Weber- Adnotationes ad Carmen Panegyricum Pisonis,
1859-60

[Ad Calpurnium Pisonem poemation.]

INCERTI AUCTORIS

CARMEN PANEGYRICUM

IN

CALPURNIUM PISONEM

CUM

PROLEGOMENIS ET ADNOTATIONE CRITICA.

EDIDIT

CAROLUS FRIDERICUS WEBER
PROFESSOR MARBURGENSIS.

MARBURGI
IMPENSIS N. G. ELWERTI BIBLIOPOLAE ACADEMICI
MDCCCLIX.

PROLEGOMENA

DE

CARMINE PANEGYRICO

IN

CALPURNIUM PISONEM.

Superest nobis ex antiquitate Romanorum carmen Anonymi satis bonum, quod colorem quidem rhetoricum, ut alia poemata latina, prae se ferens, sed concinne, eleganter, docte compositum [1]), laudes Calpurnii cujusdam Pisonis versibus hexametris celebrat, primum gentis, qua sit oriundus, nobilitatem vs. 3—24, tum virtutes ejus publicas vs. 25—83 [2]) et privatas vs. 84—105, animi deinde ingeniique dotes cum habitu et vultu vs. 106—160, denique artem poeticam aliaque studia liberalia vs. 161—208. Jam quaeritur quinam fuerit ille Calpurnius Piso, cujus neque praenomen in panegyrico apparet, neque res gestae a poeta anonymo commemorantur, nisi quod Consul Caesari nescitur cui gratias egisse fertur v. 69 sqq. Itaque viri docti in diversas

---

1) Oudendorpio ad Vitam Lucani stilus hujus carminis videtur *languidus et repens*, C. Barthio contra (Advers. XLIX, 7) *panegyricum adeo dulce, cultum et eruditum est, ut malit aliis tertio prolixioribus tanto carere quam isto.* Nam, ut ait Reichard Syllog. Opusc. vett. p. 45 *in nostro carmine per omnia dominatur ordo rerum lucidus, color quidam laetus et hilaris, oratio floridior, versus molliter fluentes et magna suavitate conditi.* Iudice Bernhardy Grundr. d. röm. Lit. p. 458 carmen est frigidum sed simpliciter et emendate scriptum.

2) Numeros versuum sequimur, qui in Heldii et nostra editione leguntur.

de hoc Pisone sententias discesserunt. Jo. Sichardus [1] princeps editor carminis nostri et qui eum sequitur Micyllus, ut ex indice utriusque in editione Ovidii patet, intelligunt eum L. Pisonem, *ad quem extat et Horatii Ars poetica*, Consulem anni [2] 739, *qui*, ut Schol. Horatii ad A. P. dicit, *et ipse poeta fuit et studiorum liberalium antistes;* sed quas Tacitus [3] et Vellejus [4] in eo laudant virtutes et res bene gestas, frustra in hoc panegyrico quaeris. Accedit quod quae inde a vs. 230 sqq. de Maecenate patrono Virgilii, Varii et Horatii dicuntur, inprimis vs. 248, ubi Maecenatis nomen quasi in proverbium iam abiisse videtur [5], melius ad posteriora tempora quam ad aetatem Horatianam spectant, ut nihil [6] dicamus de tota carminis dictione et de usu singulorum vocabulorum, quae ab aurea aetate abhorrent.

Quam ob rem alii alium Calpurnium Pisonem in nostro panegyrico praedicari volunt. Et sane post Augustum fuerunt complures Pisones, qui consules facti famam quandam colligerent, *L. Calpurn. Piso* anno [7] 780 et *L. Calpurn. Piso* anno [8] 810, quum hic vectigalibus publicis praepositus [9], postea Africae Proconsul [10] nominatus esset, sed neuter talis fuit, ut laudes panegyrici nostri mereret; nihil certe praeclari de iis constat. Nihilominus J. Lipsius [11], praenomina Lucii et Caii Pisonum confundens, Lucium Consulem anni 810 in panegyrico laudari male opinatur.

Insignis contra, quem celebrasse poeta videri possit, olim floruit *L. Piso Frugi Licinianus*, ab imperatore Galba [12] anno 822 adoptatus, juvenis egregius, qui praeditus *indole praeclara* [13], ad omnem virtutem aptissima, inprimis modestia [14], et *nobilis utrimque, vultu habituque moris antiqui et aestimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur* [15], quibuscum conferri possunt in carmine vs. 100—105, et qui *fidem, liber-*

---

1) Ovid. Oper. amat. T. I Praef. *Ad Pisonem id est scriptum, eum opinor, ad quem et Horatii ars poetica extat.*

2) Cf. Fast. ap. Orell. p. LIX.

3) Ann. VI, 10. *L. Piso pontifex — nullius servilis sententiae sponte auctor et quotiens necessitas ingrueret sapienter moderans. — decus triumphale in Thracia meruerat. Sed praecipua ex eo gloria, quod praefectus urbi recens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem mire temperavit.*

4) II, 98. *Atrox in Thracia bellum ortum — L. Pisonis, quem hodieque diligentissimum atque eundem lenissimum securitatis urbanae custodem habemus, virtus compressit. — de quo viro hoc omnibus sentiendum ac praedicandum est, esse mores ejus vigore ac lenitate mixtissimos et vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, et magis quae agenda sunt curet sine ulla ostentatione agendi*

5) *Tu mihi, Maecenas, tereti cantabere versu.*

6) Praetermittimus ea, quorum de tempore, quo instituta sint, nihil certi constat, et ludos Neapolitanos quinquennales vs. 91; cf. Sueton. Octav. 99 et quae de Cicerone vs. 35 dicuntur.

7) Orelli Inscript. Nr. 56. 3056 et Clinton. Fast. Rom. T. I p. 10.

8) Orelli Nr. 6617 et Clinton p. 38.

9) Tacit. XV, 18.

10) Tacit. H. IV, 38. 48.

11) Ad Tac. XIV, 11.

12) Sueton. Galb. 17.

13) Tacit. Hist. I, 15.

14) Plutarch. Galb. 23. Νεανίαν ἐν τῇ πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν εὐφυΐᾳ τὸ κόσμιον καὶ αὐστηρὸν ἐμφανέστατα ἔχοντα. et Dio Cass. LXIX, 4. Λούκιον Πείσωνα νεανίσκον εὐγενῆ, ἐπιεικῆ, φρόνιμον.

15) Tacit. Hist. I, 14.

latem, amicitiam, praecipua humani animi bona [1]) tenebat, quibuscum optime conveniunt vs. 106 et 107. Verumtamen is neque nomen Calpurnii habuit, ex gente Liciniana [2]) in Pisonianam adoptatus, quod panegyrista silentio non praeteriisset, neque Consul factus est, quin ante adoptionem, ut ait Tacitus [3]), *fortunam tantum adversam tulit*, cum Piso, qui in panegyrico laudatur, felix faustusque fuisse dicatur.

Beckius autem, recentissimus panegyrici editor, p. 8 sq. hominem laudibus, quae de quolibet alio Pisone dici potuissent, a poeta plus aequo ornatum, ex Calpurniis Pisonibus, a Plinio [4]) commemoratis, natu maiorem esse contendit, qui pietatis erga fratrem gloriam consecutus sit, atque eundem *C* [5]). *Calpurnium Pisonem*, qui sub imperio Trajani anno 864 Consul fuerit [6]). Idem jam ante Beckium C. Barthius [7]) conjecerat. Cui sententiae nihil esse tribuendum recte judicat Unger [8]), quum poeta pietatem Pisonis erga fratrem procul dubio in laudibus commemorasset neque quidquam aliud de Pisone illo Pliniano memoriae proditum sit. Idem valet de Pisone Martialis [9]), quem Beckius p. 9, fluctuans utrum intelligere debeat, cum altero profert; eodem enim jure possis et L. Calpurniam Pisonem dicere, qui certe Consul fuit anno [10]) 928.

Jam reliquum est, ut sententiam comprobemus eorum, qui Pisonem in panegyrico celebratum eundem esse dicunt atque C. Pisonem Calpurnium auctorem conjurationis Neronianae, ita ut carmen nostrum ante necem ejusdem compositum fuisse censendum sit. Qua in re fere omnes inde ab Hadriano Junio [11]) consenserunt interpretes et merito. Etenim quae in Pisone panegyrici laudantur virtutes, nobilitas generis, summum ingenium, magna eloquentia, vis poetica artesque aliae ingenuae, liberalitas et elegantia morum [12]), eaedem Tacito locupletissimo teste inerant in Pisone principe conspirationis. *C.* [13]) *Piso*, inquit Tacitus [14]), — *Calpurnio genere ortus ac multas insignesque familias paterna nobilitate* [15]) *complexus claro apud volgum rumore erat per virtutem aut species virtutibus similes. namque facundiam tuendis civibus exercebat* [16]), *largitionem* [17]) *adversus*

---

1) Tacit. l. l. 15.
2) Tacit. l. l. 14. *Piso M. Crasso et Scribonia genitus.*
3) Tacit. l. l. 15.
4) Epist. V, 17, 2.
5) Hoc praenomen tuetur Marini in Atti dei frat. arval. p. 818 sq. Alius ejusdem anni CS. dicitur *Marcus* vel *Lucius*; cf. Cramer. ad Schol. Juven. p. 177 et Marin. l. l.
6) Orelli Nr. 1520. 4956 et Clinton p. 96.
7) Ad Claudian. de laud. Stil. I, 28; cf. et Cramer. l. l., qui tamen Barthium de aetate Pisonis centenaria immerito vituperat.
8) In censura editionis Beckianae apud Jahn T. XVII p. 263.
9) Epigr. V, 54, 2.
10) Clinton p. 176 et Orell. Nr. 4359.
11) Sic Wernsdorf P. L. M. T. IV p. 36 et Unger p. 264.
12) Lips. ad Tacit. A. XV, 48. *Has omnes laudes C. Pisonis cecinit quicunque ille adolescens poeta in panegyrico ad Pisonem.*
13) In eodem praenomine consentiunt cum Tacito Sueton. Cal. 25 et Dio Cass. LIX, 8. Egit de C. Pisone Wernsd. l. l. p. 36 sqq.
14) XV, 48.
15) Cf. Paneg. 3 et 7.
16) Cf. Paneg. vs. 40 sq.
17) Hinc dicitur et *bonus* apud Juvenal. IX, 105,

amicos et ignotis quoque comi sermone et congressu [1]*). aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies* [2]*); sed procul gravitas morum aut voluptatum parsimonia. lenitati* [3]*) ac magnificentiae et aliquando luxu indulgebat.*

Quae verba, ut recte ait Junius [4]), cum Lucani (i. panegyristae anonymi) dictis si expendas, non ovum ovo similius invenias. Idem Tacitus [5]) C. Pisonem *tragico ornatu* cecinisse narrat atque *studia militum* [6]) *et populi* [7]) favoremque nobilium habuisse. Tum Scholiasta Juvenalis [8]), qui praeter unum ex Tacito, ut patet, exscriptum alia nobis tradit nova, sed et ipsa in universum cum laudibus panegyrici consentanea, partim ex ipso panegyrico, partim ex Suetonio aliisque hausta. Leguntur apud eum haec: *Piso Calpurnius, antiqua familia, scenico habitu tragoedias actitavit. in latrunculorum lusu tam perfectus et callidus ut ad eum ludentem concurreretur* [9]). *ob haec insinuatus Caio Caesari repente etiam relegatus est, quod consuetudinem pristinae uxoris abductae sibi ab ipso, deinde remissae repetiisse existimabatur. Mox* [10]) *sub Claudio restitutus et post consulatum materna hereditate ditatus magnificentissimus vixit, meritis* [11]) *sublevare inopes ex utroque ordine solitus, de plebe autem certos quotannis ad equestrem censum dignitatemque provehere.* Deinde Suetonius [12]) haec de C. Pisone perhibet: *Liviam Orestillam C. Pisoni nubentem, cum ad officium et ipse venisset, ad se deduci imperavit intraque paucos dies repudiat, biennio post relegavit, quod repetiisse usum prioris mariti tempore medio videbatur.* Dio Cassius autem, alios [13]) nimirum auctores secutus, eadem ita refert: Ἔγημε Κορνηλίαν Ὀρεστίναν, ἣν ἥρπασεν ἐν αὐτοῖς τοῖς γάμοις, οὓς τῷ ἐγγεγυημένῳ αὐτὴν Γαΐῳ Καλπουρνίῳ Πείσωνι συνεώρταζε. πρὶν δὲ δύο μῆνας ἐξελθεῖν ἀμφοτέρους σφᾶς, ὡς καὶ συγγιγνομένους ἀλλήλοις ἐξώρισε· καὶ τῷ γε Πείσωνι δέκα δούλους ἐπάγεσθαι ἐπιτρέψας εἶτ', ἐπειδὴ πλείονας ᾐτήσατο, ἀφῆκεν ὅσοις ἂν ἐθελήσῃ χρήσασθαι, εἰπὼν ὅτι καὶ στρατιῶται τοσοῦτοί σοι συνέσονται.

Attamen fuerunt, qui C. Pisonem Suetonii et panegyristae eundem esse negarent, quum in carmine nihil de Orestilla uxore et de exilio ejus dictum sit, sed poeta silentio praeteriit

---

quod et Martial. XII, 36, 8 attingere videtur. Cf. et Panegyr. 110 sq.

1) Cf. Paneg. vs. 129 sq.

2) Cf. Paneg. vs. 100 sq.

3) i. vitae otiosae.

4) l. l.

5) XV, 65.

6) XV, 59 et paulo post *miles favore imbutus.*

7) XV, 48.

8) Ad Sat. V, 109.

9) Beckius p. 8, hoc vocabulum ipse falso interpretatus, Scholiastam id male intellexisse sibi persuasit eo inductum, quod is usus MS. panegyrici, in quo vs. 178—189 post vs. 218 collocati fuissent, v. *haeret* vs. 188 ad latrunculorum lusum retulisset. Attamen ad explicandum errorem Scholiastae, si modo erat, sufficit sumere, quod post v. *reliquit* vs. 189 non fuit interpunctum; sed recte interpretatur Unger p. 263 *concurreretur ab amicis et familiaribus*, non, ut Beck. vult, a populo. Quae vero Beckius inde colligere vult ad demonstrandum Pisonem Neronianum alium esse atque in Panegyrico celebratum, adeo perplexa et insulsa sunt, ut ea sicco pede transeamus.

10) Haec et quae sequuntur solus habet Scholiastes.

11) i. largitionibus.

12) Calig. 25.

13) De differentia Suetonii et Dionis LIX, 8 in hac re cf. Cramer. ad Schol. Juven. p. 176 recte disputans.

hanc rem, quippe quae ad laudes Pisonis nihil conferret, ut recte iam Cramerus l. l. observavit. Accedit quod Piso, cui amicitia erat cum Caligula [1], idemque *C. Piso*, cui Caligula sponsam in nuptiis abduxerat, non modo frater arvalis sub Caio Caligula, pleno nomine C. Calpurnius Piso dicitur [2], sed etiam postea, cum munus sacerdotii arvalis perpetuum esset, frater arvalis sub Claudio [3] anno 795, quo Claudius *pater patriae* appellatus est, ut nummus apud Eckhelium [4] docet, et sub Nerone anno [5] 812 813 et 815 nominatur [6].

Maiorem de persona injicit scrupulum, quod C. Calpurn. Piso vs. 70 panegyrici [7] consulatum gessisse dicitur neque tamen consul ejus nominis sub imperio Caligulae et Claudii et Neronis in fastis commemoratur. Praeter panegyristam vero Scholiasta quoque Juvenalis consulatum C. Pisonis laudat, sed is rem ex carmine nostro hausisse videtur vel ex fonte obscuro. Nihilominus C. Pisonis consulatus in dubium vocari non debet. Etenim quum C. Piso in numero consulum ordinariorum illius temporis, qui nobis superest, non inveniatur et nihilominus in senatu Caesari gratias pro consulatu egisse vs. 71 perhibeatur, quod plerumque a consulibus suffectis factum esse constat, ut panegyricus C. Plinii Secundi consulis suffecti Trajano dictus docet [8], et quum nomina aliorum consulum aliis annis suffectorum in Fastis praeterita esse neque omnia a Tacito aliisque scriptoribus laudari manifestum sit, Calpurnium Pisonem quoque suffectum fuisse sed nomen ejus in Fastis excidisse verisimillimum est. Tum virum nobilissimum, indole eximia praeditum tantisque virtutibus ornatum, qualis C. Piso fuisse fertur, eundemque amicum Imperatorum, et Caligulae [9] et Neronis [10], consulatum obtinuisse admodum credibile est. Denique res auctoritate panegyristae nititur, qui laudes Pisonis cumulare sane atque augere poterat, sed ejusmodi rem novam fingere, nedum in os Pisonis proferre non debebat. Neque obstat, quod is, qui consul fuerat vel fuisse dicitur, post consulatum a poeta vs. 32 et vs. 211 *juvenis* appellatur, sive quod Varrone apud Censorinum [11] teste *in tertio gradu qui erant usque XLV annos juvenes appellabantur, eo quod rem publicam in re militari possunt juvare*, sive quod C. Piso Neronis beneficio, ut passim fiebat [12], lege Villia annali solutus, ante annum XLIII cousul factus erat, qua de re postea videbimus.

---

1) Sueton. Cal. 3, 10.
2) Marini Tab. VIII Arval. Tom. I p. CIX et p. 73.
3) Marini Tab. IX Arv. p. CXI et p. 75.
4) Doctr. num. T. VI p. 239.
5) Marini Tab. XV Arv. p. CIX et Tab. XVII, b p. CXXIII. Errat Cramer. ad Schol. Juv. p. 174 hos quatuor lapides esse ex aetate Caligulae dicens.
6) Marini l. l. p. 73.
7) *Cum tua bis senos numeraret purpura fasces.*
8) Wernsd. ad Pan. nostr. vs. 71.
9) Sueton. Calig. 3.
10) Tacit. XV, 52. *In villam Pisonis Caesar crebro — ventitabat balneasque et epulas inibat omissis excubiis.*
11) De die natali 14, 2. Isidorus Orig. XI, 2 adeo quinquagesimum annum constituit juventutis terminum.
12) Tacit. A. I, 3. Sueton. Cal. 1.

Et C. Pisonem Nerone imperante neque adeo juvenem, neque seniorem fuisse ex eo colligi potest, quod *favorem veterum militum* [1]) habuisse dicitur, et quod Tacitus [2]) de amore eius erga Arriam Gallam uxorem memoriae tradidit.

Jam quaeritur, quonam anno C. Piso consul fuerit suffectus. Onuphrius Panvinius [3]), cujus sententiam probat et Wernsdorf [4]), propter inscriptionem, quae est tabulae VIII fratrum arvalium, C. Pisonem consulem suffectum anni 801 fuisse sibi persuasit, quippe qui in ea cum L. Vitellio Lucii filio commemoretur, quem ex Julio mense eiusdem anni consulem suffectum fuisse Suetonius [5]) testetur. Attamen in tabula, quae et alios recenset viros, Paullum [6]), Pompeium etc., non tam consules, quorum dignitas nusquam laudatur, quam fratres arvales nominantur; deinde L. Vitellius de sententia Panvinii secundum eandem tabulam arvalem iam ab Januario vel a Kal. XVI Febr. consul suffectus fuisset, quum Suetonio auctore potius ex Juliis A. Vitellium fratrem in consulatu sequeretur; denique C. Piso, si anno consulari legitimo consulatum suscepisse sumitur, aetate paullo senior videatur, quam ut pro auctore conjurationis haberi et tantum *uxoris amori dedisse* [7]) possit. Itaque Clinton [8]) nomen C. Pisonis consulis suffecti, quod Panvinius inconsiderate addiderat, recte ex fastis anni 801 removit.

Fuerunt alii, qui consulatum C. Pisonis in annum 810 statuerent, ita tamen ut *Lucium* praenomen Calpurnii Pisonis, qui in Fastis una cum Nerone Imperatore consul fuisse dicitur [9]), in *Caium* commutarent, J. Lipsius, qui in errorem lapsus est, et Lemairius [10]), qui culpam consulto commisit. Talis enim commutatio admodum temeraria nulla ratione admitti potest, cui adversatur inprimis Fastorum auctoritas una cum inscriptionibus [11]), sed et Tacitus, qui Lucium Pisonem diserte nominat consulem designatum [12]) et factum [13]), virum consularem [14]) et proconsulem [15]) Africae anno 822, cui provinciae nonnisi consulares praeesse ex lege constitutum erat. Inconsiderate igitur Lemairius praenomen *Lucii* mutavit.

Nihilominus cum Ryckio [16]) ad Tacitum [17]) annus 810 consulatui Caii Calpurn. Pi-

1) Tac. A. XV, 59.

2) l. l. *Testamentum foedis adversus Neronem adulationibus amori uxoris dedit, quam degenerem et sola corporis forma commendatam amici matrimonio abstulerat.*

3) Fast. II p. 200; eadem inscriptio apud Gruter. 116 nr. 5 et apud Marinum Tab. VIII.

4) P. L. M. T. IV p. 37 sq.

5) Vitell. 3. *L. Vitellius* (pater) *filios — consules vidit et quidem eodem ambos totoque anno, cum maiori minor in sex menses successisset.*

6) Paullus Fabius Persicus CS. erat cum L. Vitellio anno 787; cf. Clinton p. 18.

7) Tacit. A. XV, 59.

8) Cramer. quoque ad Schol. Juv. p. 176 sq. de hoc C. Pisonis consulatu merito dubitat.

9) Ad Tacit. XIV, 14.

10) Poet. L. M. T. IV p. 42.

11) Apud Murat. p. 305, 2 et Mommsen Inscr. Neap. Nr. 1246.

12) A. XIII, 20.

13) XIII, 31; cf. et Plin. Epist. III, 7.

14) XV, 18.

15) Hist. IV, 38 etc.

16) Is Lucanum sed non sine dubitatione aliqua pro auctore Panegyrici habet.

17) Ann. XV, 48 p. 278. *Inducor ut credam hunc C. Pisonem eo ipso anno [810] consulem fuisse ex Kal. Juliis et fratrem aut patruelem extitisse L. Pisonis, qui annum cum Nerone II Consul aperuerat.*

sonis erit constituendus, sed ita ut eum consulem *suffectum*, non *ordinarium* fuisse dicamus. Etenim quum in magno consulum numero nomina et ordinariorum et suffectorum passim inter se convenirent [1], e. g. *Vitelliorum* [2] anno 801, facile fieri poterat, ut non modo praenomina consulum ejusdem nominis interdum commutarentur, quod in ipsis Calpurniis Pisonibus anni 864 factum esse videmus, ubi praenomina *Marcus*, *Caius*, *Lucius* confusa sunt [3], sed etiam singula nomina praeterirentur et omitterentur. Hoc et in Calpurnio Pisone evenisse videtur, qui loco fortasse Neronis consulis ordinarii [4] suffectus et cum altero L. Calpurnio Pisone consulatu conjunctus in oblivionem est adductus. Quodsi C. Pisonem anno 810 consulem ex lege annali Villia constitutum fuisse sumamus, per aetatem ejus optime fieri potuit, ut is imperante Caligula ab anno aetatis XX ad XXIV vixerit, annos XLIII natus consul suffectus fuerit, post consulatum juvenis a poeta recte appellatus sit et anno aetatis LI diem supremum obierit.

Ut de Calpurnio Pisone summo nostri panegyrici argumento inter viros doctissimos addubitatum est, ita et de auctore carminis multum est disputatum. Attribuerunt enim panegyricum Virgilio, Ovidio, Lucano, Saleio Basso, Statio, Calpurnio bucolico, aliis.

Qui panegyricum nostrum *P. Virgilio Maroni* assignarunt, quod J. A. Fabricius testatur [5], id neglecta temporum ratione fecerunt, quum Piso in carmine laudibus celebratus non sit Horatianus, quod illi sibi persuaserunt, sed ut demonstravimus Neronianus. Carmen panegyricum non esse Virgilii docent et vs. 230—237, in quibus Virgilius ipse praedicatur. In codice sane, cujus ope J. Sichardus panegyricum edidit, id Maroni adscriptum [6] fuit, sed nemo, quod sciam, in Virgilii carminibus minoribus vel in catalectis evulgavit; recepit quidem Jos. Scaliger id in Appendicem Virgilii sed Lucano inscriptum.

Ad *P. Ovidium Nasonem* primus retulit J. Sichardus [7] carmen panegyricum, *quod quamquam ab Ovidii dictione nonnihil abhorreat, — putavit tamen dignum ut inter Ovidiana locum sortiretur atque hoc demum pacto abint eriturin dicaretur.* Accedit quod Sichardus, ut recte Jul. Held [8] conjecerat, carmen nostrum ex codice primum protulit, qui *fragmenta* [9] *quaedam Ovidii ex libris — Epigrammaton* [10], *sic enim a Prisciano citantur*, habebat, sicut et codex Varsaviensis *partem Catalectorum Ovidii*, *quae Goldastus* [11] *edidit*, *in*

---

1) Marini l. l. p. 818 sq.

2) Sueton. Vitell. 3.

3) Marini l. l. et Cramer. ad Schol. Juv. p. 177.

4) In nummo certe apud Eckhel. T. VI p. 263, 2, qui anno 810 exeunte excusus esse fertur, Neroni, qui in priore nummo ejusdem anni COS. II dicitur (cf. Eckhel l. l. 1), dignitas consulis non tribuitur.

5) Bibl. Lat. T. I p. 377 et T. II p. 149, sed neminem nominat. Unger unum Erhard. ad Petron. 131 attulit, ubi *aedon* ex vs. 79 tanquam Virgiliano laudatur.

6) Sed *falso*, ut ait Sichard. in Praef. Ovid. Amator.

7) Praefat. l. l.

8) In praef. edit. Panegyr. p. 1, qui Sichardi quidem editionem non noverat, sed sententiam Wernsdorfii (l. l. p. 47) de Ovidii editione Micylliana recte refellit.

9) Sichard. praef. l. l.

10) Cf. J. A. Fabric. B. L. T. I p. 463

11) Cf. Fabric. l. l. p. 467 sq.

iisque carmen ad Pisonem nullo auctoris nomine adscripto continebat auctore Martyni-Laguna [1]. Hinc factum est, ut Ovidii editores, qui exemplum Sichardi sequebantur, v. c. Jac. Micyllus, alii carmen nostrum Ovidianis addiderint, alii pro Ovidiano habuerint [2]. Attamen quae de temporum ratione antea sunt dicta [3] valent et in Ovidium suppositum panegyrici auctorem. Itaque ex quo Hadrian. Junius [4] (a. 1556) alium ejus carminis auctorem sibi invenisse visus est, vv. dd. e. g. Thom. Dempster [5], Just. Lipsius [6], Casp. Barthius [7], alii panegyricum ab Ovidio compositum esse recte negarunt.

Hadrianus Junius enim ope Antonii Morillonis cujusdam [8] ex bibliotheca, quae ad ecclesiam Atrebatensem Deiparae virginis pertinebat, codicem sive apographum ejus acceperat, in quo panegyricum cum hac inscriptione legebatur: *Lucani poema ad Calpurnium Pisonem ex libro Catalecton*, idque poema Basileae 1556 in Animadversorum Lib. VI cap. 1 typis exscriptum emisit. Jam viri doctissimi nihil impensius enixiusque facere, quam novum inventum accipere, probare, divulgare, non modo qui Lucanum ediderunt Theod. Pulmannus et Greg. Bersmannus, tum Jos. Scaliger in Virgili Appendice atque Pithoeus in Epigrammatis et Poematiis, sed etiam alii viri eruditi, *Ger. Jo. Vossius* [9], *Nic. Heinsius* [10], *Pet. Burmannus* [11], *Rich. Bentley* [12], ceteri. Omnes vero in eo acquieverunt, quod Lucanus familiaritatem cum C. Pisone contraxisset ejusque socius in conjuratione fuisset [13], et quod carmen panegyricum in codice Atrebatensi [14] sive in scheda Scaligeriana [15] auctoris nomen Lucanum inscriptum habuisse ferebatur. Speciosius fortasse id pro Lucano auctore proferri poterat, quod panegyrista vs. 26 sibi nondum *vicesimam aestatem venisse* dicit, quod in Lucanum optime quadrat, si statuitur, ut supra demonstravimus, C. Calpurnium Pisonem anno 810 consulem suffectum fuisse et Lucanum anno post illius consulatum, quo ipse annos XIX cum bimestri natus erat [16], carmen panegyricum scripsisse. Sed argumenta illa, ut nihil de stilo dicamus, nimis levia et dubia sunt.

---

1) Apud Wernsd. P. L. M. T. IV p. 860.

2) Sigon. de judic. III, 27.

3) Lips. ad Tacit. XIV, 14. *Ab Ovidio aetas abjudicat.*

4) Animad. VI, 1, ubi et *carminis maiestatem Nasonianae simplicitati longe dissimilem* esse perverse judicat.

5) Ad Rosin. Antiqu. I, 13 p. 58.

6) Ad Tacit. XIV, 14.

7) Advers. XLIX, 7 p. 2293 *nec in stilo scripti, nec in persona scribentis quippiam esse, quod ferre possit Ovidium* dicens.

8) Cf. de eo, qui Antonio Perenoto cardinali Granvellano bibliothecarius et a latinis epistolis erat, Eccard. hist. stud. etym. ling. German. p. 75.

9) De hist. lat. I, 26.

10) Ad Ovid. A. A. I, 234.

11) Ad Petron. 94 p. 451 Ed. I.

12) Ad Horat. Od. IV, 6, 25.

13) Quod G. J. Vossius de hist. Lat. l. l. contra Barth. l. l. p. 2292 monet; cf. Scaliger in not. 15.

14) Jun. Animadv. l. l.

15) Scalig. Append. Virgil. p. 545 (Ed. I vel T. II p. 279 Ed. III). *Hanc Lucani esse fidem fecerit et scheda calamo exarata, in qua ita scriptum inveni: Lucani catalecton de laude Pisonis; tum et Piso iste, ad quem scribitur.* Eadem fere monet H. G. Reichard. in Syll. Opusc. p. 44 sq., qui *multos* panegyrici antiquos codices nomen Lucani prae se ferre male dixit. Utrumque codicem eundem fuisse infra docere studebimus.

16) Cf. Vitae collect. Lucani II p. 10.

Recte igitur fecerunt, qui re accuratius et diligentius considerata Junii opinionem refutarent atque Lucanum auctorem panegyrici Pisoniani esse negarent. Primus contra Hadr. Junium exstitit adversarius Thomas Dempster [1], deinde gravissime Junium impugnavit Just. Lipsius [2], cuius sententiam alii ad nostram usque aetatem probarunt, Hug. Grotius [3], Casp. Barth [4], Gisb. Cuperus [5], Nic. Antonius [6], J. A. Fabricius [7], Gottl. Corte [8], Fr. Oudendorp [9], Henr. God. Reichard [10], J. Al. Martyni-Laguna [11], Jo. Chr. Wernsdorf [12], Jul. Held [13], alii.

Ut taceamus de fide dubia codicis Atrebatensis, qui solus panegyricum nomine Lucani inscriptum habuit nunc deperditus, facile fieri poterat, ut carmen anonymum, in quo Piso Calpurnius laudibus celebratur, quem cum Lucano necessitudinem habuisse ex historia rerum erat pervulgatum, poetae Cordubensi adscriberetur; constat enim et aliorum libris falsa auctorum nomina interdum praefigi [14]. Itaque carminis indici in codice Atrebatensi parum nihilve est tribuendum, praesertim quum v. *catalecton* dubiae sit significationis [15] et *catalecta* neque a Papin. Statio (Silv. II, 7) neque a Vacca vitae Lucaneae scriptore in poematis Lucani commemorentur, nisi velis *catalecta* pro Silvis habere et cum Casp. Barthio [16] arbitrari panegyricum inter Silvas X Lucani latuisse, vel *catalecton* corruptum esse pro eo, quod apud Vaccam legitur *catachthonion*, cui tamen sententiae alia adversantur.

Docent enim compluria panegyricum poema non esse Lucani, primum externae conditiones vitae [17] inter utrumque poetam, et Lucanum et Panegyristam, quales in panegyrico apparent, comparatae. Etenim [18] Lucanus erat nobili Annaeorum genere oriundus

---

1) Ad Rosin. I, 13 p. 58.

2) Ad Tacil. Ann. XIV, 14.

3) Is certe poemation ad Pisonem non recepit in editionem suam Lucani Lugd. Bat. 1626 apud J. Maire in 8 evulgatam, quod fecit sed Grotio invito J. Jansson bibliopola Amstelod. eodem anno et saepius postea in 12.

4) Advers. (1624) XLIX, p. 2292 sq. *Panegyricus ad Pisonem Lucano nulla omnino ratione adcriptus.* — Just. Lipsius *contra ivit iis argumentis, quae nunquam equidem quisquam confutabit.* Idem tamen Barthius fluctuans sententiam suam de auctore panegyrici saepius commutavit et carmen mox (1650) ad *Calpurnium* quendam (cf. eum ad Claudian. Stilic. I, 28), mox (1664) ad *Papin. Statium* (cf. eum ad Stat. T. I p. 254 et p. 456) refert, denique ex *Lucani* Silvarum libris fortasse ductum esse opinatur (cf. eum ad Stat. Theb. VI, 322 Tom. III p. 469), quamquam eam opinionem ibidem T. I p. 254 impugnaverat.

5) Obss. III, 1 p. 264 sq.

6) Bibl. Hisp. Vet. I, 10. T. 1 p. 61 sq. (Ed. II), qui disputans in utramque partem sibi de Lucano carminis auctore persuaderi non posse profitetur.

7) Bibl. Lat. I, 12 p. 378 Ern., ubi de auctore dubitandum adhuc duxit.

8) In editione sua panegyrici.

9) Ad Lucan. Praef. * * * * * 1.

10) In Syllog. Opusc. vet. p. 44 sq.

11) In not. ad Lucan. V, 327 et in Wernsdorf. P. L. M. T. IV p. 860.

12) P. L. M. T. IV p. 41 sqq.

13) Edit. paneg. praef. p. 1.

14) Barth. Advers. XLIX, 7 p. 2293. *Manuscripta exemplaria desipere etiam in talibus mirifice solent.*

15) Wernsd. l. l. p. 42.

16) Ad Stat. Silv. II, 7, 54. T. I p. 254.

17) Lipsius ad Tacit. A. XIV, 14, cui accedit Barth. Advers. p. 2293.

18) Lips. l. l. et Fabric. B. L. I, 12 p. 378 et Nic. Anton. I, 10. Tom. I p. 62.

et claris parentibus genitus, Anonymus contra *humili domo* [1]) ortus et obscuro loco natus; ille [2]) ex gente opibus praedita ipse opulentus [3]) et iam ante Pollae nuptias patruum L. Ann. Senecam praedivitem habens, hic *tenuis fortunae caligine celatus* [4]), pauper, qui per totum carmen se inopem esse et a Pisone beneficia petere non dissimulat; ille etsi nondum [5]) honoribus quaesturae et sacerdotii ornatus, tamen ingenio praecoce, poematis et declamationibus notus et clarus [6]), hic ignotus et incognitus *latebat* [7]) in *umbra* atque *tenebris*. Haud minus differunt utriusque ingenia et mores. Lucanus, ut ait Quintilianus [8]), *ardens* et *concitatus*, acer et vehemens, insolens et arrogans, Panegyrista vero lenis et tranquillus, placidus et moderatus, demissus et *humilius blandiens Pisoni quam ut decuerit Lucanum* [9]). Tum quod non poterat non ex dissimilitudine ingenii morumque proficisci, diversum utriusque poetae est et dicendi genus [10]), tumidum et affectatum in Pharsalia, *languidum et repens* iudice Oudendorpio [11]) sive simplex et tenue in panegyrico; nec sane multa magni spiritus sublimisque ingenii vestigia in hoc carmine apparent [12]). Deinde Lucanus aliam in componendis versibus sequitur rationem atque Panegyrista; ille enim ecthlipsi saepe (duodecies in Phars. I, 1—261) et elisione saepissime (trecies sexies [13]) in eodem loco) utitur, dum in panegyrico Pisoniano elisionis exempla nonnisi duo vel quattuor inveniuntur (14. 24. 81. 168), ecthlipsis vero ne una quidem. Denique non est negligendum, quod neque Statius in Silv. II, 7, neque Vacca in vita Lucani, qui omnia Lucani scripta recensent, hujus carminis ullam faciunt mentionem [14]).

Quae praeterea prolata sunt argumenta ad demonstrandum Lucanum panegyrici nostri auctorem non esse vel parvi vel nullius sunt ponderis. Etenim neque ex argumento, quod in carmine tractatur, neque ex iuvenili poetae aetate, qui XIX annos natus panegyricum scripsisse vs. 260 sq. [15]) fertur, Lucanum hoc poemation non composuisse sequitur; et errat Lipsius [16])

---

1) Vs. 224. *Si famae mihi pandis iter, si detrahis umbram* et vs. 253 sq. *Tu, Piso, latentem exsere. Nos humilis — celat*, ubi Held et Beck *Non* pro *Nos* scribentes orationem turbant. Adde et vs. 119 *humilem clientem*.

2) Lips. l. l., cui assentitur Dempst. ad Rosin. l. l.; cf. et Nic. Anton. et Fabric. — ll — ll, Caper. Obss. III, 1 p. 642 et Wernsd. l. l.

3) Juvenal. VII, 79.

4) Vs. 255; cf. et vs. 118. *Rara domus tenuem non aspernatur amicum*.

5) Quod enim Wernsd. l. l. praeeunte Cupero l. l. monet Lucanum magnis honoribus iam functum fuisse, ut se Pisoni adeo submittere minime potuerit, hoc non probabile est ratione temporis habita; cf. Vit. Lucan. coll. II p. 10 sqq.

6) Lips. l. l.

7) Cf. vs. 224 et vs. 253 et vs. 236.

8) I. O. X, 1, 90.

9) Lips. l. l. Cf. vs. 243 sqq.

10) Barth. p. 2293 et ad Stat. T. I p. 254, quocum facit Reichard. p. 45.

11) Ad Lucan. l. l.

12) Wernsd. l. l. p. 42.

13) Quater et vicies in particula *que*.

14) Lips. l. l., quod moneat et Barth. ad Stat. T. I p. 245, Wernsd. l. l. et Reichard. p. 44.

15) *Quamvis nunc iuvenile decus mihi pingere malas coeperit et nondum vicesima venerit aestas*.

16) Ad Tacit. l. l. Neque pro certo stat, quod Lipsius ibidem addidit, panegyricum diu post 810 a. u. c. factum esse, quoniam in eo vs. 91 sq. ad Pisonis specimen eloquentiae respiceretur, quod quinquennali certamine Neapoli 818 exhibitum esset, cum Nero (Tacit. Ann. XV, 33) ibi copiam suae vocis fecisset. Apud Tacitum nihil de quinquennali certamine eius anni Neapoli habito, neque de Pisone Neronis in itinere comite legitur. Accedit quod paullo post reditum Neronis ex Neapoli conjuratio Pisonis detecta est.

negans illud tempus in aetatem Lucani convenire [1]), quum supra id optime quadrare demonstratum sit, dummodo reliqua inter se consentirent.

Post Hadr. Junium, cujus sententiam de Lucano panegyrici auctore complures infirmaverant, nemo exstitit, qui poetae anonymo nomen reddere studeret, nisi Wernsdorfius, qui in Poetis Latinis minoribus [2]) ea de re uberius disserens panegyricum nostrum *Saleio Basso* poetae epico attribuit [3]). Quod fieri posse sibi persuasit v. d. propter aetatem Saleii, qui adolescens sub Claudio vel Nerone et senex sub Vespasiano [4]) vixerit, et propter eiusdem poeticam facultatem [5]) atque opum angustiam [6]), illa aetate notam et celebratam. Sed Wernsdorfius verba Quintiliani [7]): *vehemens et poeticum ingenium Saleii Bassi fuit nec ipsum senectute maturum* [8]), de sene Saleio male intellexerat, quum immaturam eius mortem significent [9], ita ut vir potius quam senex Vespasiano imperante floruisse [10]) putandus sit. Deinde sola opum angustia nos adducere non potest, ut pauperi poetae panegyricum vindicemus; denique poemation eiusmodi est, ut laudes poetae absolutissimi, egregii vel praestantissimi inde profectae, inprimis vero *vehemens ingenium* auctori eius impertiri non possint [11]). Itaque non effecit Wernsdorfius, ut fides de Saleio Basso auctore panegyrici ei tribueretur a Cramero [12]), Jul. Heldio, C. Beckio, Weicherto [13]), Ungero [14]), aliis, neque nobis persuasit.

Quam de origine panegyrici opinionem olim Barthius [15]) habuerat, neque represserat Oudendorpius [16]), eam editor carminis ad Pisonem C. Beckius [17]) recoxit, *P. Papinium Statium* auctorem panegyrici esse ratus. Quam rem his comprobare studet argumentis, primum [18]) contendens ea, quae Anonymus vs. 254 sq. de origine sua *non humili*, sed potius nobili, et de *fortuna sua tenui* sive de paupertate sua dixerit, egregie concinere cum verbis Statii in Silvis [19]). Sed ut conveniant verba, opus est

1) Wernsdorf. quoque l. l. huic rei non multum esse tribuendum censet.

2) T. IV p. 43—46; adde Weichert de L. Varii vita p. 144 sq.

3) Assentientes in hac re habet Mitscherl. ad Horat. Od. II, 1, 11, Langium in Vindic. Trag. Rom. p. 5 et Guil. Ern. Weberum in Poet. Latin. Corp.

4) Tacit. Dial. 9. *Laudavimus nuper ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset.*

5) Tacit. l. l. 5. *Saleium Bassum quum optimum virum tum absolutissimum poetam* et 9. *Saleium nostrum egregium poetam vel — praestantissimum vatem.*

6) Tacit. l. l. c. 9, in quo is plerumque egere, et Juvenal. VII, 80, ubi *tenuis Saleius* dicitur, quocum cf. panegyr. vs. 255 *tenuis fortuna.*

7) I. O. X, 1, 90.

8) Vel *maturuit*, quod carissimus collega *Caesar* voluit, cf. Philol. 1858 p. 759, et iam editiones Colinaei et Vidoraei habent.

9) Ut recte explanavit Weichert l. l. p. 144, dum Beck p. 6 falsa colligit et Unger p. 262 aliter explicat.

10) Quare et a Tacito saepius laudatur et *vir* (cf. not. 5) nominatur.

11) Beck p. 6, cui accedit Unger l. l.

12) Ad Schol. Juven. p. 175.

13) De L. Varii vita p. 64.

14) l. l. p. 266.

15) Ad Stat. Silv. V, 2, 115. T. I p. 456. *Carmen ad Pisonem Papinio adscribendum, quod nobis aliquando adolescenti videbatur, cui rei minime contradicunt tempora.*

16) Ad Lucan. Praef. * * * * * 1. *Hoc carmen alium quemvis quam Lucanum habet auctorem, forlasse Statium.*

17) Praef. p. XIII et p. 10 sqq.

18) p. 11—13.

19) V, 3, 116 sqq. de patre Statii: *Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus, nec sine luce genus, quamquam fortuna parentum arctior expensis.*

coniectura *non humilis* pro *nos humilis*, quam Beckius, cetera quoque [1]) perverse interpretatus, contra nexum verborum, ut supra diximus, et adversantibus aliis panegyrici locis (vs. 224 et 253) male excogitavit [2]), nihil certe coniectura sua probavit. Deinde observat Beckius [3]), quod a Statio ex more poetarum saepius factum esse intelligatur, ut laudaverit Neapolim patriam, et Euboicam urbis eiusdem originem celebraverit, et ludos ibi institutos, quinquennalia certamina, commemoraverit [4]), id ab Anonymo quoque vs. 89—92 fieri. Sed ex eo, quod Neapolis in panegyrico semel laudatur, ut recte monet Ungerus [5]), de patria poetae nihil certi colligi potest, praesertim quum Neapolim ludosque quinquennales non fortuito et praeter rem, sed necessitate quadam urgente propter laudes, quas Piso ibi in facultate graeci sermonis reportaverit, celebrandas aptissime a poeta commemorata esse appareat. Tum Beckius [6]) demonstrare studet Statium ratione aetatis habita auctorem panegyrici sub Vespasiano (822—832) scripti dici posse, quum Statius non anno 812, ut vulgo cum Dodwello opinentur, sed 803 [7]) circiter natus sit. Et recte fecit Beckius, quod in computanda Statii aetate Dodwelli somniis [8]) non obsecutus est; sed ipse in hac re constituenda non omnia animadvertit, alia non satis accurate perpendit. Nam ut praetermittamus, quod Piso, si Statius anno 822 sive sub imperio Vespasiani adolescens undeviginti annorum panegyricum scripsisse dicitur, consul non sub Vespasiano [9]), sed ante eius imperium fuerit necesse est, Beckius neglexit quod Statius se diem natalem M. Ann. Lucani consecrasse atque tunc genethliacon (Silv. II, 7) Lucani composuisse testatur [10]). Quod quum anno 818 factum esse constet [11]), Statius puer XV annorum cum Martiali aliisque poetis certans illum diem concelebrasset, quod non est verisimile. Immo si res ad aetatem Statii constituendam spectantes accuratius consideramus, Silvas eius omnes quidem intra annum 840—844 evulgatas, sed aliam alio tempore prius esse scriptam, in iisque obitum patris, qui *trinis* [12]) *decem quinquennia lustra juncta* sive annos LXV *ferens* mortuus est, libro II, 1, 34 sq. et III, 3, 39 sq. significari atque epicedio, in quo filius diu elaboravit, libri V Silva 3 a poeta laudibus celebrari; si reputamus in Silva tertia libri tertii [13]) Domitiani victoriam de Cattis et Dacis reportatam indicari, qui vulgo

---

1) *Novam lucem* (257) opponit *priscae* Statii *domo* sive genti.
2) Miramur et Jul. Heldium in eandem incidisse coniecturam.
3) p. 13—15.
4) Silv. III, 5, 12 sq. 78 sqq. V, 3, 109 sqq.
5) l. l. p. 265.
6) p. 15 sqq.
7) p. 21.
8) Bernhardy R. L. p. 464.
9) Beck p. 21, qui sibi et in eo adversatur, quod Pisonem natu majorem apud Plinium Ep. V, 17, 2 anno 864 consulem fuisse dicit; cf. supra p. 3 (not. 4.)
10) Silv. II, 7 Praef.
11) Cf. Vitus Lucan. collect. P. II p. 17 sq.
12) Stat. Silv. V, 3, 253.
13) Vs. 168 sqq. *Haec est quae victis parcentia foedera Cattis, quaeque suum Dacis donat clementia montem; quae modo Marcomanos post horrida bella vagosque Sauromatas Latio non est dignata triumphos;* quibuscum cf. Sueton. Domitian. 6.

fertur anno 836 triumphasse, et Domitianum in eadem Silva vs. 165 nominari *Germanicum*, quod cognomen praebent nummi anno 837 excusi [1]; si denique reputamus in epicedio *incendia Vesuvina* commemorari, *quae* facta anno 832 sub autumni tempus, ut constat [2], *flere pio cantu* poetae *mens erat*, antequam *gemitum patriis impenderet damnis*, haud procul a vero aberrare nobis videmur, si patrem Statii, anno 832 defunctum, vel 768 natum esse censemus. Inde sequitur, quod conjectura uti que assequi possumus, ut Statius, intra annos 792 et 796 natus, anno 818 adolescens XXII vel XXVI annorum memoriam Lucani die natali concelebrarit et Vespasiano imperium capessente ad annum aetatis vicesimum sextum vel tricesimum pervenerit. Itaque Beckii computatio annorum neque in aliis rebus probatur, neque quidquam ad constituendum panegyrici auctorem valet.

Quae Beckius denique ultimo loco attulit [3], ut plurimas dictionis similitudines in carminibus Statii atque in panegyrico Pisoniano, ut opinatur, conspicuas demonstret, quum laudat miram versuum facilitatem, eximiam dicendi copiam atque rerum singularum descriptionem, similem compositionis rationem, eandem prope in peculiaribus verborum formulis dictionem, alia, ea vel nemo praeter Beckium re vera observavit [4], vel eiusmodi sunt, ut in aliis quoque poetis latinis appareant, quippe quae natura legesque poesis latinae postulent [5]. Quapropter viri docti hanc de Statio opinionem, iam a Wernsdorfio [6] notatam, merito damnarunt, Carol. Lehrs [7], propter compositionem versuum, quam Beckius non attigit, panegyricum Statii esse negans, quum Anonymus rarius quam Papinius caesura post primum dactylum, dum maior pausa sequatur, atque rarius elisione utatur, et Maur. Haupt [8], qui Lehrsii rationes comprobat, alii.

Superest ut de *Calpurnio* poeta bucolico dicatur, cui panegyricum Pisonianum nostra aetate adscriptum est. Iam Casp. Barthius [9] in carmine nostro, quod vs. 25—38 pacem Romanarum rerum indicet, *Calpurnium aliquem referri* potius quam Lucanum invenerat et propterea Pisonem consulem, a panegyrista laudibus celebratum, ad annum XIII Traiani, quo L. Calpurn. Piso quidam consul fuit, olim collocaverat. Post Barthium, cuius sententiam, sed male intellectam, Wernsdorfius absonam esse dixerat [10], idem [11] tamen

1) Eckhel Doctr. Num. VI p. 378.

2) Dio Cass. LXVI, 21.

3) p. 22 sq. et Praef. p. XVI. Commentarius eius in colligendis potissimum similitudinibus versatur, quas apud utrumque poetam invenisse sibi visus est; sed frustra.

4) Unger l. l. p. 266.

5) Unger l. l. p. 273 sq., qui singula recenset, quae Statio et Anonymo peculiaria esse falso dicuntur.

6) p. 39. *Statio — Barthius aliquando panegyricum adscribere voluit, levi admodum verisimilitudine.*

7) Quaest. Epic. p. 305. Ita Statius admodum raro caesura trochaica in pede quarto utitur, semel in quadragenis trinis versibus.

8) De carm. bucol. p. 26.

9) Ad Claudian. Stilic. I, 28.

10) T. IV p. 39 sq. Barthius enim non *auctorem facit Calpurnium quendam* nostri panegyrici, sed *genus carminis Calpurnium aliquem referre* h. e. simile Calpurniano esse dixit.

11) T. IV p. 44 not. h.

animadvertit *totum habitum eclogae quartae* Calpurnii *pluresque eius sententias ad similitudines carminis ad Calpurn. Pisonem scripti multum accedere, ut verisimile fiat, Calpurnium ad hoc carmen, quod ad gentilem vel cognominem virum scriptum esset, praecipue attendisse idque studiose legisse.* Similitudinem quandam inter eclogam quartam Calpurnii et carmen nostrum intercedere Beckius [1] quoque concedit, sed poetam bucolicum rationem panegyrici carminis propter nominis adfinitatem habuisse negat. Proximo autem tempore Maur. Hauptius, et bucolicorum et panegyrici Pisoniani auctorem eundem esse ratus, coniecturam suam, Lachmanno quoque probatam [2], argumentis his confirmare studuit [3], quod versuum artificium mirabiliter inter bucolica et panegyricum Pisonis conspiret [4], et quod orationis quaedam convenientia in dissimilibus carminum generibus appareat, et quod eclogae atque laudatio Pisonis eandem poetae bucolici et Panegyristae conditionem iuventutis et paupertatis ostendant. Idem, quum mirum sit eodem nomine poetam bucolicum atque Pisonem laudibus celebratum nuncupari, persuasum habet fieri potuisse, ut poeta a Calpurnio Pisone non solum liberaliter sublevaretur sed etiam adoptaretur; factum quoque putat, ut carmina bucolica uno volumine collecta et adoptivo Calpurnii nomine inscripta ederentur. Negari non potest ingeniosam esse hanc coniecturam, sed ei neque Bernhardy [5] adstipulatur, neque nos calculum adjicere possumus.

Etenim singularem hexametri structuram quod attinet, comparat quidem Hauptius versus Panegyristae post quartum trochaeum incisos, quorum observavimus XIV, cum Calpurnianis LXVIII, sed numeri ratio non est eadem, quum Panegyrista singulos trochaicos in duodevicenis habeat versibus, Calpurnius vero in undenis. Eodem iure et fortasse meliore versus trochaici, qui sunt in carmine Pisoniano, cum Silianis conferri possunt, quorum viceni singuli unum trochaicum continent. Haud magis Hauptio assentiri possumus in eo, quod Panegyristam atque Calpurnium propter rarum elisionis usum, qui apud utrumque appareat, eundem esse auctorem censet. Nam in panegyrico IV, in eclogis Calpurnii XXVI sunt elisiones, ita ut singulae in illo sexagenis quinis, in hoc undetricenis versibus insertae sint. Quae convenientia, si talem nominare placet, potius ad Claudianum pertineret, cuius in panegyrico in IV Consul. Honorii eadem est elisionum ratio [6]. Accedit quod Calpurnius ecthlipses tres habet, Panegyrista noster nullam. Tum

---

1) p. 23.

2) Ad Lucret. in fine p. 326, cui accessit Lehmann in Claudio T. I p. 21.

3) De carmine bucol. p. 26.

4) Demonstrare id vult usu longae o nonnisi semel in v. *nescio* (252) et in v. *Piso* (65. 75. 117. 241) correptae (sed cf. Virgil. A. II, 735 et Juvenal. V, 109), tum XI (immo XIV, adde 84. 101. 130) versibus post quartum trochaeum incisis (34. 62. 83. 92. 94 etc.) et raro elisionis usu (24. 81), ad quem Lehrsius primus l. supra l. animum attenderat.

5) Grundr. d. R. L. p. 458.

6) Ab initio 1—261 nonnisi novem apparent elisiones.

et in aliis rebus metricis singularem illam convenientiam utriusque poetae desideravi; caesuras in fine tertii pedis adhibuit Anonymus septies [1], Calpurnius octies [2], ita ut ille hunc duabus fere partibus ex tribus superet; caesuras bucolicas Panegyrista habet XIII, Calpurnius LIII, ita ut singulae apud illum in vicenis versibus, apud hunc in quaternis denis redeant; denique Calpurnius caesuras dactylicas in fine quinti pedis quinquies admisit, Panegyrista nullo versu. Nihil igitur de Calpurnio panegyrici Pisoniani auctore ex his colligi potest. Orationis autem in panegyrico Pisonis et in eclogis Calpurnianis convenientia minor apparet (certe in ecloga quarta, praeter ceteras digna propter laudes Caesaris, quae cum laudatione Pisonis comparetur [3], nedum in ceteris eclogis), quam ut carmen panegyricum et bucolicum quartum ab eodem poeta profecta esse tibi persuadere possis. Ipse Wernsdorfius monet totam illam Calpurnii eclogam verbositate laborare immodica, quae in panegyrico Pisonis non deprehenditur. Et quae Hauptius praeterea ad sententiam suam stabiliendam profert de aequali vitae conditione et de nominis adoptione, ita comparata sunt, ut ipse Hauptius iis non multum tribuerit. Idem [4] enim profitetur, quae de Calpurnio laudatore dixerit, incerta admodum esse et se incertum sane coniecturam de auctore panegyrici Pisoniani fecisse.

Quae quum ita sint, reliquum est ut in sententiam discedamus eorum, qui nomen Panegyristae Pisoniani sibi incognitum esse ingenue fatentur [5], sed poetam, qui humili [6] loco necdum viginti annos natus tenuique re familiari oppressus ad preces descendisset, sub imperio Neronis vixisse suspicantur. Haec est sententia J. Lipsii [7] et aliorum post eum inprimis J. Heldii et R. Ungeri [8]. Solus C. G. Heyne [9] auctorem panegyricorum ad Messalam et ad Calpurn. Pisonem sibi persuasit eundem esse atque priore tempore floruisse, sed nemo non sentiet panegyricum nostrum oratione sua simplici et nativa ab altero sterili, quaesito, coloribus rhetoricis fucato multum differre, et linguam utriusque admodum esse diversam, et versuum compositionem in utroque discrepare [10]. Eadem de causa nec Beckii sententia stare potest, qui [11] *auctorem* panegyrici ad Messalam *carmen nostrum ob oculos habuisse* censet. Etenim neque noster in panegyrico suo poetam ullum [12] imitando

1) Vs. 5. 97. 99. 120. 144. 186. 254.

2) Cf. ecl. I, 13 (?); II, 44. 66; III, 33; V, 105. 109. 120; VI, 53. In ecl. IV et VII nullum inveni exemplum.

3) Quod fecit Wernsdorf. T. IV p. 44 not.

4) l. l. p. 27 et p. 37.

5) Incertum poetam nominat eum Ruhnken. ad Vellei. 1, 4, non ineptum Havercamp. ad Tertullian. Apol. 2 p. 21.

6) Vs. 254 sq. et 261.

7) Ad Tacit. XIV, 14.

8) In Iahn. Iahrb. XVII p. 266.

9) Ad Tibull. IV, 1. T. 1 p. 320. *Si quis utrumque — perlegat ac comparet, — auctor sum adeo simile istius et sententiis et orationis colore deprehendet, ut ab eodem auctore utrumque profectum esse sibi facile persuadeat.* Similes sunt sententiae utpote in eodem carminis genere.

10) In panegyrico ad Messalam deprehenduntur VI tantum versus post trochaeum quartum incisi, unus in tricenis quinis, elisiones autem apparent XL, una in quinis hexametris; aliter in panegyrico ad Pisonem, cf. supra p. 14 not. 4.

11) p. 23.

12) Wernsdorfio videtur noster Tibullum cum in pluribus locis, tum versu 32 expressisse et superasse.

expressisse videtur, neque alius poeta nostrum nisi in iis, quae poesis latina in universum habet communia, id quod recte observavit Unger [1]). Idem [2]) tamen Ungerus fieri potuisse statuit, ut et posterioris aetatis poeta ingenii exercendi causa hoc carmen panxerit, eamque ob rem animum in vocabula posterioris latinitatis, qualia sunt *aedonia 79*, *tetricitate 103*, *focilat* [3]) 126, *sudabunda* 189, et in dicendi formulas, qnales sunt *succiso poplite* 76, *pacata laude* 27, *classicus horror* 141 advertit. Et profecto si quis id agat, ut panegyricum nostrum non antiquitus, sed recens scriptum demonstret, me sibi accedentem habet et compluria ad sententiam suam confirmandam inveuerit, primum quod auctor panegyrici anonymus est vel vario nomine vocatur, deinde quod carmen in Varsaviensi certe MS. additum est Ovidii catalectis, quae quum et ipsa subdita atque recens composita esse videantur, facile fieri poterat, ut panegyricum quoque Pisonis ab interpolatore [4]) proficisceretur; tum mira est verborum convenientia de eadem re apud Tacitum et nostrum: Panegyristam, ita ut hic Tacitum ob oculos habuisse videatnr, ex scholiis autem Iuvenalis alia de Pisonis ludo latruuculorum hauserit; deinde idem ludus accuratins et diligentius, quam pro illo tempore exspectandum erat, describitur; praetere dubitationem de antiquitate panegyrici movet, quod auctor consulatum C. Pisonis laudans praenomina *Caium* et *Lucium* apud Tacitum commutasse videtur; tum laudatio Pisonis neque ab ullo grammatico commemoratur, neque versus eiusdem laudationis ab ullo poeta, ne a Claudiano quidem, imitatione est expressus; deinde argumentum et habitus colorque orationis emendatus atque ipsi versus ad legem artis compositi eiusmodi sunt in panegyrico, ut carmen pro declamatione et pro exercitamento ingenii facile haberi possit; denique MSS. dubitationem de antiquitate panegyrici excitare possunt, quum neque supersit nobis MS., quo panegyricus contineatur, neque pro certo stet carmen in codice vetustissimo vel certe membranaceo unquam exaratum fuisse.

Sed quicquid de aetate carminis Pisoniani statuendum est, iam transeamus ad *Codices* panegyrici recensendos, quorum vulgo quattuor laudantur. Primus est *anonymus*, quo Io. Sichardus [5]) in editione sua panegyrici est usus. Ex praefatiuncula Sichardi Tom. I Ovidii operum anno 1527 praemissa [6]) cognoscitur codicem illum, qui non dicitur membranaceus,

---

1) p. 274 recte negans a Claudiano (IV Cons. Hon. 580. 9. Mall. Theod. 21 et in Rufin. II Lib. Praef. 15) locos panegyrici nostri 9. 27. 40. 157 expressos esse.

2) l. l. p. 276; cf. et p. 266.

3) Cf. tamen Senec. Ep. 13 in fine, ubi est *focillare*.

4) Non ab eodem, qui Ovidiana composuit, ut versuum ratio docet.

5) Bischofshemensis ad Tuberam, Ictus et philologus primum Basileensis, tum Friburgensis, postremo Tubingensis, natus 1499, denatus 1552.

6) Ibi haec leguntur: *Ne vero sine corollario aliquo ad te veniret* [Ovidius meus], *adjecimus vulgatis omnium aeditionibus ex vetustissimis codicibus, quibus sumus ex bibliotheca Laurissana usi, fragmenta quaedam Ovidii ex libris opinor Epigrammaton, sic enim a Prisciano citantur, atque elegantissimum carmen incerti*

vetustum fuisse atque carmen nostrum falso Maroni adscriptum habuisse. Codex erat duobus locis (vs. 52 et 120) mutilus, praeterea interpolatus, corruptus [1]), sed vel sic magni pretii et variis lectionibus auctus (cf. vs. 43. 128. 137. 215. 251), nisi forte sunt Sichardi coniecturae; idem a vetustissimis Ovidii codicibus Laurissanis distinguitur. Num vero is in monasterio Laurissano fuerit, dubitari potest, quum Sichardus intra annos 1525 et 1529, quibus Basileae rhetoricam docebat latinosque scriptores explicabat, praestantissimas quidem Germaniae bibliothecas perscrutatus sit [2]), sed codicem panegyrici Laurissanum non laudet neque eiusmodi codex in vetustissimo Breviario [3]) Codicum monasterii S. Nazarii Laurissae vel in catalogis bibliothecae Palatinae, cui MSS. Laurissani plerique adjuncti sunt, ante tristissimam illam rapinam aut postea indicetur. Itaque tota res de auctoritate codicis habet, cur haesitare possis.

Codex Atrebatensis, ex quo Hadr. Iunius panegyricum edidit, in bibliotheca ecclesiae Deiparae virginis Atrebatensis anno 1545 sub Antonio Perenotto episcopo fuit repertus, cuius haec erat inscriptio: *Lucani Poema ad Calpurnium Pisonem ex libro Catalecton* [4]). Poema ab Antonio Morillone cum Iunio [5]) communicatum erat; sed non docemur, num liber fuerit codex, cuius tamen indoles a Iunio non accuratius describitur, an quod verisimilius est apographum. Multo meliores lectiones, quam editio anni 1534 sive codex anonymus, a Iunio [6]) et a Beckio [7]) exhibere dicitur atque melius versus XII, qui vulgo post vs. 71 leguntur, post vs. 249 repositos habere; sed scripturae fere omnes apparent peiores et ordo versuum perverse mutatus inde profectus est, quod librarius, qui transscripsit ex archetypo, quod [8]) in singulis paginis duodenos habebat versus, prima excepta, in qua praeter inscriptionem erant undecim versus [9]), septimam paginam a dextra in describendo neglexerat et errore intellecto versus illos XII in fine addiderat una cum signo ordinis versuum restituendi, quod librarius posteri apographi non animadvertit. Atrebatensis quoque codex non iam superesse videtur, certe nullus eiusmodi liber ab Haenelio nostro in catalogo MSS. Atrebatensium commemoratur.

---

quidem autoris, sed quod extra controversiam sit vetustissimi alicujus: siquidem ad Pisonem id est scriptum, eum opinor, ad quem et Horatii ars poetica extat; quod quamvis ab Ovidii dictione nonnihil abhorreat, et in vetusto codice falso erat Maroni ascriptum, iudicavimus tamen dignum, ut inter Ovidiana locum sortiretur atque hoc demum pacto ab interitu vindicaretur.

1) Margo codicis archetypi, ex quo Sichardianus descendit, in singulis versibus exeuntibus non integer fuisse videtur; cf. vs. 35. 44. 52. 90. 159. 239.

2) Bouginé Handb. T. II p. 286.

3) In A. Maii Spicileg. Rom. T. V p. 196 et p. 200 *Virgilii liber* bis laudatur, nullus *Ovidii* codex.

4) Ferreol. Locrius in Chronico Belgico (Atrebati 1616) p. 610, qui sua maximam partem ex Hadr. Junii Animadv. VI, 1 p. 250 sqq. sumsit.

5) l. l.

6) Animadv. V, 1 p. 252. *Multa sunt in eo* (poematio) *perperam transposita in codicibus* (i. e. editionibus) *vulgatis, multa hic* (in cod. Atrebat.) *lectione interpoli correctiora.*

7) Praef. p. XIV.

8) Constitit foliis duodecim formae octavae et viginti duabus paginis inscriptis.

9) Ultima quoque pagina archetypi nonnisi decem habebat versus.

Manuscripti Atrebatensis apographum [1]) alterum, ut videtur, non ipsum codicem habuit Jos. Scaligerus et simul usus [2]) editione Lucani Pulmanniana (Antverpiae 1564), in qua legitur poemation ad Pisonem, Hadriani Iunii beneficio auctori suo redditum, *M. Annaei Lucani ad Calpurnium Pisonem panegyricum* in Appendice Virgilii 1573 ita evulgavit, ut cum Iunio (cujus tamen editionem non laudat) et cum Pulmanno vel in errore sive librarii sive typographi, vs. 170 *securus* pro *securis*, et cum Pulmanno solo in scriptura inepta vs. 216 *tenemus* pro *canemus* atque in indice, nisi quod Scaligerus *panegyricum* pro *poemation* habet, prorsus consentiat Inde sequitur et Junium et Scaligerum sua ex eodem fonte hausisse [3]) sive primitivo sive derivato. Disceptari quidem potest, utrum Scaligerus codice Atrebatensi ipso an apographo eius usus sit, quum v. d librum, quem habebat, mox *schedam calamo exaratam* [4]), mox *manuscriptum* vel *codicem* [5]) dicat et praeter indicem, quem carmini inscripsit, alium afferat, quem se in scheda manuscripta vidisse testatur [6]), *Lucani catalecton de laude Pisonis;* sed quoniam Scaligerus neque Atrebatensem, neque alium codicem panegyrici nominat atque inscriptioni *Lucani catalecton* etc. nihil tribuit [7]), quam in solo codice Atrebatensi fuisse constat [8]), eum apographo potius codicis sive *scheda,* ut ipse dixit, *calamo exarata* usum fuisse verisimile est. MS. Scaligero teste [9]) his incipiebat verbis: *Nihil est quod texas ordine longum. Unde prius coepti surgat mihi carminis ordo?* Quamobrem v. d. arbitratur, atque Beckium [10]) sibi assentientem habet, initium nostro poematio deesse; sed recte monet Wernsdorfius [11]) verba illa, ex Virgilii Ciri [12]) hausta, glossema esse, quod ut interrogationi primi versus responderet, a librario esset superscriptum. Sive id in codice Atrebatensi, sive in apographo eius Scaligeriano additum est, glossema neque in editione Sichardiana neque in Iuniana et Pulmanniana apparet. In eodem codice Scaligerus [13]) et finem poematis Pisoniani invenit, quem diu absentem [14]) Antverpensis editio Lucani non omiserat. Idem

---

1) Cf. infra post 8.

2) Cf. Scalig. in not ad Eclog. Lucan. p. 280 Append. Virg.

3) Held p. 1 et Beck p. XIV idem suspicantur.

4) Append. p. 279 (p. 545).

5) Ibid. p. 280.

6) Ibid. p. 279 (p. 545).

7) Aliam certe inscriptionem editio Scaligeri exhibet.

8) Wernsdorf. p. 40 hoc affirmari posse male negat.

9) Ibid. p. 280. *Videtur autem initium huic poematio deesse.*

10) p. 24.

11) p. 45 sq.

12) Vs. 339, quem locum Scaliger. ipse attulit.

13) App. Virg. p. 280.

14) Scalig. l. l. *Quemadmodum diu finis quoque panegyrici abfuit, quem ego inveni in illo codice et non omisit Antverpensis editio* i. e. Lucanus Pulmanni Antverp. 1564. Quae verba nollem ita ab Heldio p. 1 intellecta esse, ut incuriam Scaligeri manifestarent, quippe qui versus illos XII *suum locum iam tenere in editionibus antiquioribus non advertisset.* Etenim Scaliger. et editionem Pulmannianam ob oculos habuit, et nonnisi de novo versuum ordine egit. Ceterum Barthio quoque in Advers. XLIX, 7 p. 2293 *est poema* ἀτέλεστον *et in libros aliquot divisum fuisse videtur vel ex fine,* quam opinionem minus feliciter refutare studet Wernsdorf. p. 43, recte damnat Beck p. 23.

finis est, quem Hadr. Iunius, id quod Scaligerum latebat, in Animadversis evulgaverat, et quem Scaligerus probavit non quasi novum, qui omnino defuisset, sed in melius, ut putabat, alio versuum ordine restitutum. Itaque multa concurrunt, quae Ios. Scaligerum apographo codicis Atrebatensis, non alterius, usum fuisse indicent.

Gregorii Bersmanni libri tres qui commemorantur v. c. vs. 87 et 88 non sunt codices panegyrici sed editiones Iuniana, Pulmanniana et Scaligerana.

Codicem *Eburonensem* Casp. Barthius [1]), apud Eburones hospitans, dum panegyricum nihil non moliretur, sibi contigisse dicit, sed nihil de hoc codice constat, nisi quod Barthius l. l. refert versum 183 exaratum fuisse, *et nunc scrutaris vitalia pectora dextra*, qualem ceteri codices non habent.

Codex denique *Varsaviensis*, quem excerpserat Martyni-Laguna, *chartaceus [2]), in bibliotheca quadam Varsaviensi repertus, partem Catalectorum Ovidii, quae Goldastus edidit, in iisque carmen ad Pisonem nullo auctoris nomine adscripto continebat. Cui quidem ipse* Mart Laguna *parum tribuit, quod recentem admodum et inscite scriptum esse vidit,* sed varietatem scripturae notavit a Wernsdorfio nobiscum communicatam [3]). Codex sane mendosus et corruptus consentit in ordine versuum cum Atrebatensi, in verbis maximam partem cum Sichardo, sed et suas habet lectiones, plerumque damnandas [4]), raro probandas, ut vs. 23 *decuere*, quod solus praebet.

Ex quibus patet non recensionem duplicem codicum panegyrici esse statuendam, cuius vestigia I. Heldius [5]) invenisse sibi visus est, sed familiam duplicem, cuius indicia variae lectiones, quemadmodum apud alios scriptores, exhibent, neque iustam carminis Pisoniani recensionem constitui posse nisi ope melioris codicis, quam quibus nunc sunt usi editores.

Iam ad ultimam dissertationis partem ad *editiones* [6]) carminis Pisoniani pervenimus. Cum fere omnia, ut vidimus, in hoc carmine dubia atque ambigua sint, et persona, quae laudibus effertur, et auctor laudationis, et MSS., quibus panegyricus continetur, non est mirandum, si et editio princeps eiusdem carminis a novissimis editoribus [7]), Heldio et Beckio, addubitatur, quorum ille [8]) editionem Lugdunensem 1540, hic [9]) Basileensem 1534 nactus est primam.

---

1) Advers. XXVII, 13 p. 1300.
2) Wernsd. T. IV p. 860.
3) l. l. p. 861 sqq.
4) Cf. vs. 16. 22. 23. 44. 93. 234. 242.
5) p. 2, quod et Wernsdorf. p. 47 observarat. Negat duplicem recensionem Unger p. 277.
6) De editionibus panegyrici disserunt Wernsdorf. T. IV p. 46 sqq., Schweiger p. 862 et Beck Praef. p. XIII sqq.
7) Wernsdorf. quoque p. 46 non habet compertum, qui primus panegyricum in lucem p. 1 protulerit.
8) p. 1.
9) p. XIII sq., qui recte divinaverat hanc ipsam editionem ex alia antiquiore repetitam esse.

Alii primam esse volunt editionem hoc indice evulgatam: *P. Ovidii N. opera quibus in omnes metamorphoseos fabulas Lactantii argumenta accesserunt. — — Atque H. Glareani et Longolii annotationes. Item fragmenta quaedam Ovidii ex libris quae magna ex parte periere epigrammaton. Et non male natum carmen ad Pisonem. Basil. Henr. Petri* 1523. 8. Laudat eam ex Hirschii millenario II p. 26 Panzer [1]) et nescio unde Ebert [2]) indice paulum mutato: *et carmen ad Pisonem*, quique hunc secutus est Schweiger [3]). Sed quum ea editio solius Hirschii testimonio nitatur, neque a Maittairio neque ab I. A. Fabricio commemoretur, et a me frustra in bibliothecis Germaniae sit investigata, denique in indice habeat non solum vv. *non male natum*, quibus carmen primum editum non facile commendatur, sed etiam nomen *Henrici Petri* bibliopolae, qui arti typographicae apud Basileenses post annum demum 1527 praeerat [4]), mihi persuasum est illam editionem, quae esse anni 1523 dicitur et pro prima habetur, nullam esse nisi numeris a Hirschio commutatis editionem anni 1532, quam I. A. Fabricius [5]) et ex eo Schweiger [6]), hic tamen signo dubitationis addito, laudant.

Nobis autem Panzero duce [7]) contigit, ut principem carminis Pisoniani editionem rarissimam reperiremus omnemque de ea dubitationem tollere possimus. Coniunctum enim et simul editum est carmen panegyricum primum cum Ovidii operibus in binis voluminibus, sed continuo foliorum numero signatis, formae octavae [8]) hoc indice: *P. Ovidii Nasonis opera. Castigata ad fidem veterum exemplarium a Ioanne Sichardo. Accesserunt omnium additionibus, quae in hunc diem extant, fragmenta quaedam Ovidii hactenus non visa ex libris qui periere Epigrammaton et carmen eruditissimum ad Pisonem.* fol. 1—263. Alterum volumen, cuius in praefatiuncula Adam Petri de divortio sive separatione operum Ovidii in duas partes pauca monet, hunc habet indicem: *P. Ovidii Nasonis Amatoria Heroidum Epistolae. Auli Sabini, ut creditur, Epistolae tres. Elegiarum libri tres. De remedio amoris libri tres. In Ibin. Ad Liviam de morte Drusi. De nuce. De medicamine faciei. Recens accessere Fragmenta quaedam ex Epigrammatis Nasonis. Carmen ad Pisonem incerti autoris, elegantis tamen et eruditione juxta nobile,* et constat fol. 364—549.

---

1) Annal. T. VI p. 239 nr. 493, b.

2) Lexic. T. II p. 260.

3) Tom. II p. 627.

4) Adam Petri de Langendorff pater ab a. 1510—1527, quo mortuus est, postea Henric. Petri filius libris imprimendis operam dederunt; cf. Panzer Vol. XI p. 608. Hinc et explicandum, quod Panzer l. l. p. 9 nomen *Henrici* (Vol. VI p. 239 nr. 493) in *Adam* correxit, quamquam numeros intactos reliquit. Accedit quod J. Sichardus ab anno demum 1525 Basileae vixit ibique scriptores latinos interpretatus est.

5) B. L. T. I p. 470, ubi Henr. Petri nominatur.

6) T. II p. 627.

7) Annal. Tom. XI p. 383 Nr. 665, b Cf. etiam Eberti Bibl. Lex. T. II p. 259 et Schweigeri Handb. d. Bibl. T. II P. II p. 627. Editionem principem I. A. Fabricius quoque recte laudat in Bibl. Lat. T. I p. 470 Ern.

8) Exemplum integrum servatur in bibliothecis Monacensi et Argentoratensi, volumen alterum in bibliotheca Berolinensi, unde id accepimus.

In fine leguntur haec: *Basileae ex aedibus Adami Petri. Mense Martio. Anno MDXXVII.* Carmen nostrum [1]) typis descriptum est fol. 546—549 cum indice *Ad Pisonem ad quem extat et Horatii Ars poetica.* Editio habet asteriscos, quibus vel lacunas vel corruptelas significat [2]), et signum †, quo varias scripturas vel fortasse [3]) coniecturas indicat. Qua ex editione nihil quidem novi nobis redundat ad carmen Pisonianum restituendum, nisi vs. 137 varia scriptura *promptus*, quam Bas. in contextum recepit, sed efficit editio, ut quid in codice anonymo scriptum fuerit, melius nobis constet.

Reliquas editiones [4]) quod attinet in quattuor familias distribui possunt, in *Sichardianam*, *Iunianam*, *Bersmannianam* et *Cortianam*, quibus singulae accedunt editiones *Heldiana* et *Beckiana*.

Ad *Sichardianam* pertinent, quae XII illos versus non in fine carminis, sed post vs. 71 habent et contextum Sichardianae plerumque ita repetunt, ut vel nihil vel parum in eo commutaverint. Huc referendae sunt [5]) Basileensis [6]) 1534, Lugdunensis I [7]) 1540, Micylliana I [8]) 1549, Lugdunensis II [9]) 1550, Lugdunensis III [10]) 1555, Coloniensis [11]) s. a.,

1) Praecedunt fol. 544, b *Fragmentum Ovidii Nasonis repertum nuper in vetustissimo codice ex epigrammatis*, quod incipit: *Nox erat et somnus lassos submisit ocellos* etc., et fol. 545, a—b *Eiusdem ex epigrammatis* quod incipit: *Quantum Vergilius magno concessit Homero* etc.

2) Vs. 52 (deest versu 120) et vs. 207.

3) Vs. 128. 137. 177. 215. 243. 251.

4) Eas nos ipsi vidimus atque contulimus, nisi ubi collationes aliis deberi indicatum est.

5) Ex editione Sichardiana prodiit, ut verisimile est, altera, quam benignissimus C. B. Hase in quinque bibliothecis Parisinis et ego in Germania frustra quaesivimus, ita ut de ea dubitare possis, sed laudat eam hoc indice: *Ovidii opera amatoria — Carmen ad Pisonem incerti authoris. Paris. Sim. Colinaeus* 1529. 8. Vol. I—III. Panzer. T. VIII p. 123 Nr. 1799 ex Catal. Pinell. T. II. p. 328 et de la Vall. P. II Vol. IV p. 31; eandem in manibus habuisse videntur Brunet Manuel. T. III. p. 592 et Schweiger T. II p. 627. Repetita esse fertur Paris. 1541 (cf. Fabric. B. Lat. T. I p. 470 Ern.) et 1545; cf. Pinellii Catal. T. II p. 356 Nr. 4819.

6) In Ovidii operibus, ut omnes quae sequuntur. Hanc editionem ex antiquiore, ut recte divinaverat, repetitam Beckius p. XIII, solus ea usus, pessime interpolatam esse male censet; nam principe aliquatenus emendatior meliora hic illic praebet, si Beckii excerptis fides est habenda; cf. vs. 25. 76. 233. 239. Eadem vs. 120 lacunam vocabulo *mens* supplet, vs. 52 mutilum sinens; habet et variam scripturam cf. 137.

7) Iul. Heldius, quam ipse contulerat, cum recensione I. Micylli Francofurtensi 1575 et Lipsiensi 1612 concordantem invenit. Lacunam supplet vs. 52, sed qua auctoritate id factum sit, non constat. Bruneto auctore (Man. T. III p. 592) orta est cum ceteris Lugdunensibus ex Parisina 1529.

8) Varias scripturas ejus, quae in Vol. II p. 518—24 operum Ovidii continetur, carissimus *Scheibe* Prof. gymnasii Vitzthumensis mihi excerpsit. Contextum Micyllus non ex codice, ut falso Wernsdorf. p. 47 opinatur, sed ex editione Basil. 1534 et ex Lugdun. 1540 (cf. vs. 44. 52. 90. 171) sumsit; idem singulas aliorum addidit emendationes, cf. vs. 44 *namque ubi, Piso,* 151 *nebulis*, 238 *gestu*; ipse nihil novi de suo attulit.

9) In: *P. Ovidii Nas. amatoria, apud Seb. Gryphium, Lugduni* 1550. 12 p. 407—16. Collationem eius debeo benevolentiae C. B. Hasii. Ex tribus Lugdunensibus optima editio recedit a prima in XIV locis, (cf. vs. 35. 44. 69. 97. 126. 151. 158 etc.), quibus fere semper meliorem exhibuit lectionem, sed et errores typographicos emendavit, ipsa commisit paucos, cf. 60. 116

10) In Ovidii amatoriis Lugduni apud Ant. Vincentium 1555. 12; aliam editionem Lugduni apud Gryphium typis a. 1554 expressam laudat Wernsdorf. T. V p. 1169, unde sua habet Lemairius, sed falso annum 1534. Nostra plerumque ad Lugd. 1 rediit (cf. vs. 44. 151. 158. 182 242 etc.), paucas lectiones Lugd. 2 (cf. vs. 35. 69) servavit, errores typographicos (vs. 19. 125. 166 etc.) praeter veteres (vs. 79. 88. etc.) commisit, nova nisi forte vs. 90. 151 non praebet, omnino ceteris Lugdunensibus posthabenda est.

11) Editio Coloniensis s. a., distinguenda ab ea,

Micylliana II [1]) 1575, Micylliana III [2]) 1579, Coloniensis II [3]) 1596, Francofurtensis sive Micylliana IV [4]) 1601 et Amstelaedamensis [5]) 1649.

Iunianae autem familiae adscriptae sunt editiones, quae postquam Hadr. Iunius carmen Pisonis ex codice Atrebatensi evulgavit, hunc secutae editionibus prioris temporis non cognitis vel neglectis XII illos versus in fine panegyrici reposuerunt novasque, quas protulerat Iunius, scripturas praeter paucas propagarunt. Cuius familiae sunt editio Iuniana [6]) 1556, Pulmanniana [7]) 1564, Scaligeriana I [8]) 1573, Scaligeriana II 1575, Pulmanniana II [9]) 1576, Scaligeriana III 1595, Pithoeana [10]) 1596, Aureliana [11]) 1611 et Maittairiana [12]) 1713.

Iam vero hos editores, qui plerumque religiosi scripturam codicum immutare dubitaverant et stabiles usu receptam conservare maluerant, alii sunt secuti, qui contextum carminis Pisoniani suo arbitratu novabant et conformabant, alter *Greg. Bersmannus* timidior et cautior, varias lectiones inprimis Micylli et Iunii colligens et ex iis sua eligens, ita ut recensionem Sichardianam sive Micylli et Iunianam commisceret brevibus scholiis additis, alter *Gottl. Cortius* (post Casp. Barthii [13]) curas) audacior atque inconstantior

---

quam Mart. Lagona laudat (cf. Wernsdorf. T. IV p. 860), post Micyllianam evulgata in Ovid. Amator. p. 393—401, vestigia legit editionis Lugdun. I, in paucis, plerumque per errorem, ab ea recedens, cf. vs. 35 *Sed* pro *Sic*, 93 *omnis* pro *oris* etc.

1) Contulit eam I. Held, cf. eius praef. p. II, quae in singulis tantum a reliquis Micyllianis recedit; cf. vs. 83. 85.

2) Alia hic illic exhibet, quam prima Micylliana, plerumque levia, mox meliora cf. vs. 19. 35. 86. 90. 113, mox peiora cf. vs. 87. 89. 140. Complures habet errores typographicos, cf. vs. 215 *adcolcisse*, ut editio 1549, pro *at voluisse*.

3) Veterum poetarum carmina selecta. Coloniae Agrippinae 1596. 12, cujus varietatem lectionum praebuit Mart. Lagona.

4) Francof. apud Wechel. in Ovid. T. I p. 423—25. Pendet tota ex prima Micylliana, ita ut raro ab ea recedat, cf. vs. 176. 215, non immunis vitiorum, cf. vs. 60. 256.

5) Repetita est ex Micylliana III una cum mendis ejus operarum, cf. vs. 60. 260, in Ovidio T. I p. 313—320.

6) In animadversorum lib. VI cap. 1. Quantum ipsi in edito rectiusque constituto hoc carmine debeatur non constat.

7) Pulmannus Iunium solum in editione sua Lucani secutus fere nihil ad carmen Anonymi restituendum attulit, nisi quod *praestinguit* et *Cnossius* vs. 101 et vs. 142 in erratis commendat.

8) I. I. Scaliger, qui primus castigationes aliquot in Eclogam ad C. Pisonem scripsit, typis repetitas a Greg. Bersmanno in Ovid. Lips. 1582 p. 427—30 et in eiusdem Lucano Lips. 1589 p. 385—88, panegyricum edidit in appendice Virgilii 1573 (p. 122—130 et p. 545—548), quem postea typis recudendum curavit Fr. Lindenbrogius 1575 et 1595, non ut Wernsd. T. IV p. 860 habet 1595 et 1617. Contextus primae editionis non recedit a Pulmanniana, ut supra diximus, neque a Iuniana, nisi vs. 216 *tenemus* pro *canemus*. Neque inter se differunt tres Scaligerianae nisi singulis mendis typographicis, cf. vs. 26. 144. 170, et scriptura, cf. vs. 112. 255.

9) In Lucano; neque recedit editio a priore Pulmanniana nisi scriptura, cf. vs. 19. 112, et varia lectione vs. 101 (ubi Ed. II *praestinguit* habet pro *praestringit* Ed. I). vs. 142 (ex corrigendis prioris editionis). vs. 176 *(extulit* pro *extudit)* et emendatione vitii typographici vs. 170 *(securis* pro *securus)*.

10) In libro, cuius index est (sine nomine Pithoei). *Epigrammata et poemata vetera ex antiq. codd. et lapidibus collecta.* [Lugduni] *Apud Jac. Chouet* 1596. 8. p. 260. Eadem collectio iam antea *ex bibliotheca et cum emendationibus Pet. Pithoei* Parisiis 1590 et postea Genevae 1619 evulgata est. Editio secunda repetita est ex Pulm. II, cf. vs. 176 *(extulit)*. vs. 216 *(tenemus)*. vs. 237 *(nomina)* et tantum in scriptura et interpunctione interdum recedit.

11) Varia eius lectio debetur I. Heldio.

12) In: *Op ra et fragmenta veterum poetarum latinorum. Londini* 1713 T. II p. 1590 sqq. Editio tota pendet ex Pulm. I, cf. vs. 142. 170. 176. 216. 237. Scripturam hic illic habet mutatam.

13) In Adversar. XII, 7.

et suas conjecturas cf. vs. 8. 202. 207) et aliorum variasque lectiones promiscue promens, ita ut certam artis criticae legem non servaret. Inde familia editionum orta est *Bersmanniana*, ad quam praeter editiones Bersmanni I [1]) 1582 et II 1589 pertinet Amsterodamensis [2]) 1624, atque familia *Cortiana*, ad quam referendae sunt editiones Cortiana [3]) 1726, Bipontina I [4]) 1783, Wernsdorfiana [5]) 1785, Reichardiana [6]) 1793, Bipontina II 1807, Lemairiana [7]) 1824, Weberiana [8]) 1832.

Ex novissimis editoribus alter *Iul. Held* [9]) de textu, quem vocant, bene meritus non solum variam lectionem ex XIV editionibus [10]) diligentissime excerptam et pro certo constitutam una cum coniecturis vv. dd. apposuit, sed etiam verba panegyrici ad recensionem Sichardianam sive Micyllianam magis revocavit. Unum locum (vs. 254 *non* pro *nos*) praeter necessitatem emendare studuit. Attamen non omnem habuit suppellectilem, [quae necessaria est; deerat ei editio princeps et Micylliana 1549 et neglexit, nescio cur, Martyni-Lagunae observationes a Wernsdorfio in supplemento additas; neque maiorem pane-

---

1) Primum in: *Ovidii* 1582 *Carmina amator.* p. 410 – 419 et saepius, cf. Fabric. B. L. T. II p. 471 Ern. deinde in Lucano 1589. Nihil discriminis reperi, nisi, quod posterior editio vitia aliquot typographica emendavit; cf. vs. 88. 216. Utraque autem cum Sichardiana sive cum Lugd. 1 (Held Praef. p. 1) plerumque conspirat, nisi in collocatione versuum 72—84. Bersmannus inprimis tribus libris s. editionibus Pulmanni, Scaligeri et Pithoei usus est (cf. vs. 87. 91. 126), sed et novas conjecturas vel lectiones attulit, cf. vs. 157 *vestiet.* vs. 179 *gradu.*

2) In Lucano; quae editio in omnibus convenit cum Bersmann. 1589, nisi vs. 30 et 35.

3) In Lucano. Cortius, *nullis MSS.*, *sed editionibus tantum diversis usus* (Praef. ad Lucan.), Ianio inprimis obsecutus est. Varias scripturas et coniecturas vv. dd. non distinguens arti criticae in panegyrico recte adhibendae plus obfuit quam profuit.

4) Bipontinae a Cortiana non nisi scriptura (vs. 49. 94), emendatione errorum typographicorum (vs. 92) et mutata interpretatione, cf. vs. 198, hic illic distinguuntur, ita tamen ut prior in scriptura magis cum Cortiana concordet (vs. 64. 136), posterior sit correctior (vs. 73. 92).

5) In *Poetis Lat. Min.* T. IV p. 236—282, quibuscum coniungendae sunt p. 36—48 (dissertatio de Saleio Basso) p. 72—75 (testimonia) p. 859—69 (notae Martyni-Lagunae) et T. V p. 1469 sq. et p. 1476 (additamenta). In contextu verborum post Cortium emendando, quamquam habebat nonnullas editiones nondum collatas, fere nihil praestitit neque omnia, quae ad rem criticam pertinent, diligenter notavit, ut Heldius p. 2 monet, cf. vs. 27. 207. Sed quemadmodum Cortius notas criticas in unum contulerat, ita Wernsdorf. observationes interpretum, Bersmanni, Scaligeri, Lindenbrogii collegit easque re et suis animadversionibus additis de explicando panegyrico praeclare meruit. Praeterea Martyni-Lagunae notas adjecit plerumque criticas, ex decem editionibus et ex Cod. Varsaviensi congestas. Communicaverat eas Mart. Laguna Zwiccaviensis *(non Eagonia Polonus)* Heynio excitante cum Wernsdorfio, qui nonnulla tantum iam dicta vel minus necessaria omisit; et praebent sane nonnihil adiumenti in re critica factitanda.

6) In *Sylloge opusculor. veterum poeticorum.* Lips. 1793 p. 44—64, quam *Henr. God. Reichard* in usum iuventutis studiosae collegit notisque paucis instructam edidit; is hic illic emendationes proposuit, cf. vs. 16. 23. 120.

7) In *Poet. Lat. Min.* Paris. 1824 Tom. III p. 232—270. Iste ne Parisinas quidem editiones contulit neque omnino quidquam sive in recensendis sive in explicandis panegyrici verbis praestitit, in scriptura hic illic a Wernsdorfiana discedens (*quum* vs. 17. 39. pro *cum* et *submoto* vs. 136), de suo aliquid raro adspergens, idque nullius pretii e. g. de pila p. 287 et de latrunculorum ludo p. 295, aliena negligenter compilans et colligens.

8) Quam curavit G. E. Weber in *Corp. poet. lat.* p. 1411—1413 in omnibus Cortium, ut ait ipse Praef. p. LXXVIII, secutus nisi uno loco *(sed* pro *et* vs. 122) et hic illic in scriptura (vs. 42 *causas* pro *caussas*; vs. 55 *attonitus* pro *adtonitus).*

9) *Incerti auctoris ad Calpurnium Pisonem carmen.* Vratislav. 1831. 4. Erravit in titulo Bernhardy p. 458.

10) In iis antiquissima erat Lugdunensis 1540.

gyrici editionem, quam Praef. p. 2 se paraturum esse promiserat, in lucem edidit. *Carolus Beck* [1]) denique, qui carmen nostrum Statio vindicatum iverat, ad Iunium maxime reversus, editionis Basileensis 1534 varietatem plenam [2]) (Petr.) una cum Bersmanniana protulit eo consilio, ut inde *universa textus origo explicaretur*. Idem aliquot locos panegyrici sanasse sibi visus est, sed subsidiis vel omnino non usus, ut editione I. Heldii, vel recte utendi nescius, alia temere correxit (vs. 8), alia non emendavit, neque propositum et carminis auctori suo restituendi et in verbis rectius constituendi assecutus est [3]).

---

1) *P. Papinii Statii ad Calpurn. Pisonem poemation*. Onoldi 1835. 8. Censuram libri, quam Ungerus scripsit, vide in Iahnii (N. Ib. 1836 Vol. 17 p. 261—277, aliam anonymi in Hall. L. Z. 1837 N. 51 p. 405.

2) Praef. Beck p. XV.

3) Prolegomenis finem imponere non possumus, quin animum gratum profiteamur gratiasque agamus viris doctis, quorum alii de singulis rebus huc spectantibus benevolentissime nobis responderunt, Dr. *C. Halm* director bibliothecae regiae Monacensis, Dr. *E. de Leutsch* professor Gottingensis, Dr. *A. Scheler* Bruxellis, bibliothecarius regius, et Dr. *Chr. F. Stälin* Stuttgartiae, summus praefectus bibliothecae regiae, alii vel variis lectionibus vel animadversionibus liberaliter transmissis nos adiuverunt, humanissimus *C. B. Hase* Parisiis, amicissimus Dr. *C. Scheibe* professor gymnasii Vitzthumensis Dresdae et praeter ceteros Dr. *R. Unger* eruditissimus gymnasii Friedlandensis apud Megalopolitanos director.

INCERTI AUCTORIS

CARMEN PANEGYRICUM

IN

CALPURNIUM PISONEM

CUM

ADNOTATIONE CRITICA.

4

AD PISONEM*).

Sic. Unde prius coepti surgat mihi carminis ordo Iun.
quosve canam titulos, dubius feror. hinc tua, Piso,
nobilitas veterisque citant sublimia Calpi
nomina Romanas inter fulgentia gentes;
hinc tua me virtus rapit et miranda per omnes
vita modos, quae si deesset tibi forte creato
nobilitas, eadem pro nobilitate fuisset.
nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
atria, quid pleni numeroso consule fasti
profuerint, si vita labat? perit omnis in illo

*) Ita scripsi. *Ad Pisonem, ad quem extat et Horatii Ars poetica* SIC. Mic. 1. 3. Lugd. 2. 3. Colon. 2 et Lugd. 1554; cf. Wernsd. T. V p. 1469. *P. Ovid. Nasonis ad Pisonem carmen, ad quem* etc. Francof. *Lucani poema ad Calpurnium Pisonem ex libro Catalecton* Iun. *M. Annaei Lucani ad C. P. poemation* Pulm. *M. A. L. ad C. P. panegyricum* Scal. Pith. Bersm. (qui addit *sive ecloga*) Amstel. Amsterod.; cf. Barth. Advers. p. 1014. *M. A. L. ad C. P. poemation* Reich. *Incerti auctoris ad C. P. poemation* Cort. Bip. (cum add. *Lucano vulgo adscriptum*). *Inc. auct. Carmen ad C. P.* Hd. *Saleii Bassi ad C. P. poemation Luc. vulg. adscr.* Wernsd. Lem. *Sal. Bassi Panegyricus in C. Calp. Pis.* Web. *P. Papinii Statii ad C. P. poemation* Bk. In scheda, quam Ios. Scaliger vidit, *Lucani catalecton de laude Pisonis; an catalecton ad Pisonem?* cf. Scal. Append. p. 545 (p. 279).

vs. 1. Carmen ab his verbis: *nihil est quod texas ordine longum*, in MS. Scal. incepit, quamobrem Scal. et Bk. initium carminis intercidisse arbitrantur. Illum recte refutat Wernsd. l. l. T. IV p. 45 sq., in his glossema deprehendens (cf. Virg. Cir. 339), hunc Ung. p. 272, v. *coepti* bene explicans.

vs. 3. *Calphi* Colon. 1; cf. ad vs. 15.

vs. 8. *culta* coni. Cort., quod et Burmanno placebat ad Anthol. Lat. T. I p. 207. — *tropaeis* Bk., quod Heins. voluerat Burmanno l. l. probatum. Vulgatam praefert Wernsd.

vs. 10. *cui vita* IVN. Bk. et pro v. l. Bersm. Cort. *si vita* SIC. Bas. BM. Colon. 2. CO. Hd.

Sic. gentis honos, cuius laus est in origine sola. Iun.
at tu, qui tantis animum natalibus aequas
et partem tituli, non summam ponis in illis,
ipse canendus eris; nam quid memorare necesse est,
ut domus a Calpo nomen Calpurnia ducat
claraque Pisonis tulerit cognomina prima,
humida callosa cum pinseret hordea dextra?
nec si cuncta velim breviter decurrere possim,
et prius aethereae moles circumvaga flammae
annua bis senis revocabit mensibus astra,
quam mihi priscorum titulos operosaque bella
contigerit memorare; manus sed bellica patrum
armorumque labor veteres decuere Quirites
atque illos cecinere sui per carmina vates.
nos quoque pacata Pisonem laude nitentem

vs. 11. *gentis honos* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. BM. Hd. et pro v. l. Cort., quod etiam Wernsdorfio placet. *nobilitas* IUN. Aurel. Cort. Bk. et pro v. l. Bersm. — *cui* Aurel. vitio typograph. — *latus* vitiose Lugd. 1.

vs. 12. *at tu* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. BM Colon. 2. Hd. et pro v. l. Cort., quam probat Wernsd. *felix* pro *at tu* IUN. Aurel. CO. Bk. et pro v. l. Bersm. Reprobat Mart. Lag. p. 861.

vs. 13. *tituli*, *non* CO. *tituli non* vulgo coniungunt.

vs. 15. *Calpho* Mic. 1. Colon. 1. Francof. — *Calphurnia* Sic. Lugd. 1. 3. Colon. 1. Francof. *Calphurina* Mic. 1. *Calpurina* Mic. 3 et Colon. 2; cf. Barth. Advers. CLXVI, 6 p. 157.

vs. 16. *primā* VA, quam ob rem Mart. Lag. *primum* voluit, *primum* vel *primus* Reich.

vs. 17. *tumida*, quod Scal. App. p. 280 voluit, Meursio ad Lycophr. 483 probatum, damnant Cort. Mart. Lag. Ung. p. 271, qui et in *virida* inciderat. *tumida* (!) coni. Bk. — *pinserit* scriptum affert Cuper. Obss. II, 14 p. 232. *UNG.*

vs. 19. *aethereas* Sic. Lugd. 1. Mic. Colon. 2 Francof. *aetheriae* Iun. BM. Cort. Hd. Bk. *aethereae* Lugd. 2. 3. Mic. 3. Pulm. Pith. Scal. — *molles* Mic. 3. Lugd. 3. — *flamae* Scal. *flavae* Maitt. vitiose.

vs 20. *bissenis* SIC. IUN. BM. *bis senis* CO. Hd. Bk. — *renovabit* melius videtur Wernsd., *revocabit* defendit Bk.

vs. 21. *Pisonum* conicc. Barth. in Advers. XLIX, 7 p. 2292, quod Wernsd. improbat.

vs. 22. Pro *memorare* propter vs. 14 vult *numerare* M. Lag. et pro *sed*, cuius loco est *sit* in VA, *si*, ita ut apodosis vv. *nos quoque* incipiat.

vs. 23. *priscos* pro *veteres* Barth. l. l. ex codice (?), nisi est error. — *decuere* VA. Idem coni. Barth. l. l., quod Wernsd. M. Lag. et G. E. Webero, nisi malles anacoluthon statuere, probatum Reich. Hd. et Bk. receperunt. Vulgo *docuere*. Cort. [cum Reich.] locum esse corruptum censet, ad notas suas, quae perierunt, nos relegans.

vs. 24. *carimna* Francof.

Sic. Iun.

exaequamus avis. nec enim si bella quierunt,
occidit et virtus; licet exercere togatae
munera militiae; licet et sine sanguinis haustu
mitia legitimo sub iudice bella movere.
hic quoque servati contingit gloria civis
altaque victrices intexunt limina palmae.
quin age maiorum, iuvenis facunde, tuorum
scande super titulos et avitae laudis honores
armorumque decus praecede forensibus actis.
sic etiam magno iam tunc Cicerone iubente
laurea facundis cesserunt, arma togatis.
sed quae Pisonum claros visura triumphos
olim turba vias impleverat agmine denso,
ardua nunc eadem stipat fora, cum tua moestos
defensura reos vocem facundia mittit.

vs. 26. *exequamus* Scal. 1. *exaequemus* vult M. Lag. — *nec enim* SIC. Bas. Lugd. 1. 2 3. BM. Colon. 2. Hd. et pro v. l. Cort. *tamen etsi* IUN. Aurel. CO. Bk., sed *nec enim* comprobans, et pro v. l. Bersm.

vs. 27. *occidit* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. Hd., quod et Wernsd. probat. *non periit* IUN. Aurel. CO. Bk. et Bersm. in marg. — M. Lag. coni. *etenim si b. q. non perit et virtus.*

vs. 28. *libet* affert Sagitt. de iun. p. 224.

vs. 29. *bella tueri* scriptum affert Cangius in Niceph. Bryenn. p. 212 (p. 222 Nieb.) *UNG.*

vs. 30. *hic* SIC. Bas. Lugd 1. 2. 3. BM. Colon. 2. et pro v. l. Cort., qui tolerabile esse putat. *hinc* IUN. CO. Hd. Bk. et in marg. Bersm., melius id ratus, ut Bk. — *continget* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. BM. et pro v. l. Cort. *contingit* IUN. CO. Hd. Bk. et in marg. Bersm. id praeferens.

vs. 31. *victricis* Sic. Mic. 1. Lugd. 1. 2. 3. Francof. *victriceis* BM. Mic. 3. *victrices* IUN. CO. Bk. *victores* habet Casaub. ad Sueton. Domit. 23 et Sagitt. l. l., nescitur unde.

vs. 32. *quie* vitiose Lugd. 2.

vs. 35. *sed etiam* Colon. 1. — *magnae* SIC. Lugd. 1. Mic. 1. Colon. 1. Francof. *magno* Lugd. 2. 3. IUN. Mic. 3. BM. CO. Hd. Bk. — *nunc* Scal. 1624. — *iuventae* SIC. Lugd. 1. Mic. 1. Colon. 1. Francof. *iuventa* Bas. *vigente* Lugd. 2. 3. IUN. Mic. 3. BM. CO. Hd. Bk. *iuvante* coniecit Ung. 269 sq.; emendavi *iubente* quasi duce, qui nunc est.

vs. 36. Comma post v. *facundis* addi voluit Ung. p. 276 respiciens ad Cic. versum Offic. I, 22; cf. Wernsd. Exc. VIII l. l. p. 389 sqq.

vs. 37. *sed quae Pisonum clar. vis.* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. et pro v. l. Cort. de v. *quondam* nihil monens. *quaeque patrum claros quondam vis.* IUN. CO. Hd. Bk. et pro v. l. Bersm. — *sed*, nisi malis *et*, distinguentis est tempora diversa.

vs. 39. *maestos* Palm. Cort.

vs. 40. Plene distinxit Bk.

Sic. seu trepidos ad iura decem citat hasta virorum Iun.
et firmare iubet centeno iudice causas,
seu capitale nefas operosa diluis arte,
laudibus ipsa tuis resonant fora. tu rapis omnem
iudicis affectum possessaque pectora tentas;
victus sponte sua sequitur quocunque vocasti,
flet si flere licet, gaudet gaudere coactus,
et te dante capit iudex si non habet iram.
sic auriga solet ferventia Thessalus ora
mobilibus frenis in aperto flectere campo,
qui modo non solum rapido permittit habenas
quadrupedi, sed calce citat, modo torquet in auras
flexibiles rictus et nunc cervice rotata
incipit effusos in gyrum carpere cursus.
quis non attonitus iudex tua respicit ora?

vs. 42. *caussas* Pulm. Pith. Scal. Cort. Hd.

vs. 43. *nephas* Lugd. 1. 2 (?). 3. Mic.

vs. 44. *tu rapis omnem* optime emendavit corruptelam ex *turapisōnem* ortam Ung. p. 268 et in Theb. Paradox. p. 432 et in Anal. Propert. p. 64. *dura Piso, nam* (vel . *Nam*) SIC. Bas. Lugd. 1. 3. *tu quoque Piso* IUN. Aurel. CO. Hd. Bk., frustra ea defendens, et pro v. l. Bersm. *dura Piso* sine *nam* Colon. 2. *duraque Piso* VA. *namque ubi Piso* Lugd. 2 (*nanque*). BM. et pro v. l. Mic. Lugd. 1. 3. Colon. 2. Cort., quae et Wernsd. praefert. M. Lag. coni. *fora, duraque, Piso, iudicis, affectu poss. p. ducis.*

vs. 45. *adfectum* Bip. — *tentas* SIC. (addito puncto) Bas. Lugd. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. et pro v. l. Cort., cui vox placet, probata et Ungero p. 270, sed Wernsd. reprobata. *ducis* IUN. CO. M. Lag. Hd. Bk. et pro v. l. Bersm., quod Wernsd. mavult.

vs. 46. *victus* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. et pro v. l., quam cum Wernsd. probat, Cort. *victor* IUN. CO. Hd. Bk. et pro v. l. Bersm. Bk. male compositum cum *sua sponte* putat; sed est oxymoron. *victor* mavult M. Lag. — *quocumque* Cort.

vs. 47. *libet* SIC. Lugd. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. et pro v. l. Cort., quod cum M. Lag. et Bk. damnat; correxi *licet*, per te. — *iubes* Bas. (?) IUN. CO. et pro v. l. Bersm. — *vocatus* Barth. in Advers. XLIX, 7 p. 2292 perperam coniecit Cortio et Wernsd. recte iudicantibus.

vs. 48. *si non* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3 BM. Colon. 2. et pro v. l. minus elegante Cort., quam et M. Lag. damnat. *quam non* IUN. CO. Hd. Bk. et pro v. l. Bersm.

vs. 50. *fraenis* Lugd. 3. Iun. Reich.

vs. 51. *habenis* vitiose Reich.

vs. 52. *cornipedi* Barth. Adv. XLIX, 7 p. 2292 affert. — *torquet in auras* desunt Sic. et Bas., quorum ille versui addidit asteriscum, ut Francof.; versum integrum habet prima (?) Lugd. 1, deinde Mic. Lugd. 2 etc. — *aures* pro v. l. Cort. *armos* coni. Barth. l. l. et ad Stat. Silv. V, 2, 515 probante Wernsd.; dubitat de dictione *in armos torquere* M. Lag., damnat coniecturam Bk.

vs. 53. *rotata*. Ung. p. 275 de *retorta* cogitaverat.

vs. 55. *adtonitus* Cort.

Sic. Iun.

quis regit ipse suam nisi per tua pondera mentem?
nam tu, sive libet pariter cum grandine nimbos
densaque vibrata iaculari fulmina lingua,
seu iuvat adstrictas in nodum cogere voces
et dare subtili vivacia verba catenae,
vim Laertiadae, brevitatem vincis Atridae;
dulcia seu mavis liquidoque fluentia cursu
verba nec incluso sed aperto pingere flore,
inclita Nestorei cedit tibi gratia mellis.
nec te, Piso, tamen populo sub iudice sola
mirantur fora, sed numerosa laude senatus
excipit et meritas reddit tibi curia voces.
quis digne referat, qualis tibi luce sub illa
gloria contigerit, qua tu reticente senatu,
cum tua bis senos numeraret purpura fasces,
caesareum grato cecinisti pectore numen? 71
quodsi iam validae mihi robur mentis inesset 250

vs. 57. *liber* vitiose Cort.

vs. 59. *astrictas* SIC. Lugd. 3. BM.

vs. 60. *membra catenae* coni. M. Lag. p. 862. *catena* Lugd. 2. 3. Colon. 2. Francof. et Amstel.

vs. 62. *dulcia* IUN. CO. Hd. Bk. et pro v. l. Bersm. *dulci* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. Colon. 2. BM. et pro v. l. Cort. Pro *cursu* M. Lag. l. l. vult *rursum* i. q. *πάλιν*.

vs. 64. *inclyta* SIC. IUN. BM. CO. *inclita* Bip. 2. Hd. Bk. etc.

vs. 67. M. Lag. p. 863 putat scriptum fuisse *meritos r t. e. honores.*.

vs. 69. *reticente* Lugd. 2. 3. IUN CO. Hd. Bk. et pro v. l. Bersm, quam probat M. Lag, i. q. diligenter auscultante. *retinente* SIC. Bas. Mic. Lugd. 1. BM. Colon. 2. et pro v. l., quam damnat, Cort. et Bk. *recinente* voluit Unger p. 268 sq., quod vv. *meritas reddit tibi curia voces* et v. *cecinisti* vs. 71 respondet, i. q. acclamante, ut vs. 44 *resonant*; tum mallem *plaudente*.

vs. 70. *bissenos* SIC. IUN. *bis senos* BM. CO. Hd. Bk. — *fasceis* Palm. Scal. Pith. Cort.

vs. 71. *gratum* Colon. 1. — Versus seqq. 72 *quodsi* — 83 *penatibus ipsis*, h. l. omissos, in fine carminis post vs. *coeperit — aestas*, ita ut sint vs. 250—261, addunt IUN. BM. Aurel. Maitt. CO. et qui hunc versuum ordinem frustra defendit Bk. Suo loco hic eos habent SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. Mic. 1. 2. 3. Colon. 2 et Hd. Eundem meliorem versuum ordinem postea et Wernsd. T. V p. 1470 perspexit et contra Bk. bene tuetur Ung. p. 272. Cf. Proleg. p. 4.

vs. 72 *quodsi* Francof. et M. Lag., *quod si* ceteri. — *iam* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. Hd. Bk., *tam* impugnans, et pro v. l. Cort. *tam* IUN. Aurel. CO. et pro v. l. Bersm. *iam* comprobat M. Lag., qui *robur mihi* scribi vult.

Sic. et solidus primos impleret spiritus annos, Iun.
auderem voces per carmina nostra referre,
Piso, tuas, sed fessa labat mihi pondere cervix 253
et tremefacta cadunt succiso poplite membra.
sic nec olorinos audet Pandionis ales
parva referre sonos, nec si velit improba possit;
sic et aedonia superantur voce cicadae,
stridula cum rapido faciunt convicia soli. 258
quare age, Calliope, posita gravitate forensi
limina Pisonis mecum pete; plura supersunt,
quae laudare velis inventa penatibus ipsis. 261
huc etiam tota concurrit ab urbe iuventus 72
auditura virum, si quando iudice fesso 73
turbida prolatis tacuerunt iurgia rebus.
tunc etenim levibus veluti proludit in armis
compositisque suas exercet litibus artes.
quin etiam facilis romano profluit ore
Graecia cecropiaeque sonat gravis aemulus urbi; 78

vs. 73. *primus* Bip. 1.

vs. 74. *dotes* pro *voces* coniecit Santen. teste Wernsd., qui *voces* tuetur. Coniecturam damnat Bk; cf. Unger. p. 273.

vs. 75. *suncisa*, pro *succiduo* dictum, non esse mutandum monet Ung. p. 276, cuius verba spectant ad *submisso poplite*, quod apud Catull. VI, 245 legitur, ut v. d. me per literas docuit.

vs. 77. *sed nec* IUN. Reich. et pro v. l. Bersm. cum Cort., quorum ille *sed* reprobat, ut et Bk. *sic* reliqui.

vs. 79. *hedionia* Sic. Lugd. 1. 3. Colon. 2. Francof. *Hedonia* Mic. 1. *aedonia* Lugd. 2. IUN. Mic. 3. BM. Maitt. CO. Hd. Bk. et pro v. l. Lugd. 1. 3. Mic. 1. Colon. 2. Francof.

vs. 80. *rabido*, quod Beckio displicet, Wernsd. teste Santen. coniecit. *convitia* Lugd. 3. *convicia* vitiose Bk.

vs. 81. *qare* vitiose Bersm. 2.

vs. 83. *quis laud.* Mic. 2. 3.

vs. 85. *verum* Mic. 2 vit. typogr.

vs. 86. *pro latis* Mic. 1. Lugd. 3. Francof.

vs. 87. *tunc etiam* Mic. 3. BM. Colon. 2. et pro v. l. Cort. *etenim* pro v. l. Bersm.

vs. 88. *compositusque* Sic. (Bas. ?) Mic. 1. 2. 3. Lugd. 1. 3. Bersm. 1. Colon. 2. Francof.

vs. 89. *perfluit* Mic. 2. 3. BM. Colon. 2 et pro v. l. Cort. *profluit* pro v. l. Bersm.

vs. 90. *Graecia* — *aemulus* dure dicta; an *sermo* pro *Graecia?* *cecropioque* Mic. 1. 3. Lugd. 1. 3. — *sonas* coniec. Wernsd.; *sonat* tuetur Bk. — — *favus* pro *gravis* vult Heins. Advers. IV, I, p. 557, probatum Burm. Anth. L. T. I p. 743 et T. II. p. 326,

Sic. Iun.

testis, acidalia, quae condidit alite muros,
euboicam referens facunda Neapolis arcem.
qualis, io superi, qualis nitor oris amoenis
vocibus; hinc solido fulgore micantia verba
implevere locos; hinc exornata figuris
advolat excusso velox sententia torno.
magna quidem virtus erat, et si sola fuisset,
eloquio sanctum modo perfulcire senatum,
exonerare pios modo, nunc onerare nocentes,
sed super ista movet plenus gravitate serena
vultus et insigni praestringit imagine visus.
talis inest habitus, qualem nec dicere moestum
nec fluidum, laeta sed tetricitate decorum
possumus; ingenitae stat nobilitatis in illo
pulcher honos et digna suis natalibus ora.
additur huc et iusta fides et plena pudoris
libertas animusque mala ferrugine purus,
ipsaque possesso mens est opulentior auro.

sed a Wernsd. recte repudiatum. — *undae* CO. ex Lucano Amsterod. ap. Io. Iansson. 1626, quod Wernsd. defendere studet sed frustra.

vs. 92. *refens* Cort err. typogr. — *secunda* vitiose Cort. Bip. 1. *foecunda* Sic. Mic. 1. 3. Lugd. 3. Iun. Francof. *facunda* ex *fecunda* bene coni. Ung. p. 265; cf. Martial. V, 78, 14 *docta Neapolis*.

vs. 93. Pro *io* VA. *iē*, unde M. Lag. proponit *qualis inest Superis, talis nitor oris amoeni vocibus*, ut Piso cum Mercurio comparetur. *omnis amoenis* Colon. 1.

vs. 97. *etsi* Bas. Mic. 1. 3. Lugd. 2. BM. Francof. et pro v. l. Cort. *et si*, quod reliqui habent, Bersm. pro v. l.

vs. 98. *perfulcire* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. et pro v. l. Cort. *permulcere* JVN CO. Hd. Bk. et pro v. l. ex duobus libris Bersm. *perfulcire* tuetur Ung. p. 269, ut sit i. q. *praefulcire;* illud est consulis, qui senatum suadendo sustinet; cf. Cic. Rep. II, 9, 15.

vs. 99. *exornare* Colon. 1. Reich. per errorem.

vs. 101. *voltus* Cort. *insigni* Lugd. 2. JUN. BM. CO. Hd. Bk. *insignis* Sic. Bas. Lugd. 1. 3. Mic. 1. Francof. — *praestinguit* Pulm. 2. (commendatum in erratis Pulm. 1.) Aurel. Reich. — *visu* Bas.

vs 102. *maestum* Pulm. Scal. Cort.

vs. 104. *possimus* perperam scriptum affert Heins. ad Sil. Ital. V, 220 p. 260. *UNG.*

vs. 105. *pulcer* Pulm Scal. BM.

vs. 106. *casta* pro *iusta* Bk. emendat sine causa, ut Ung. p. 272 monet.

vs. 108. *mens.* Cf. Barth. in Claud. Cons. Prob. et Olybr. 46 p. 20. *UNG.*, quem locum supra p. 16 not. 1. silentio transmiseram.

quis tua cultorum, iuvenis facunde, tuorum
limina pauper adit, quem non animosa beatum
excipit et subito iuvat indulgentia censu?
quodque magis dono fuerit pretiosius omni,
diligis ex aequo, nec te fortuna colentum
natalesve movent; probitas spectatur in illis.
nulla superborum patiuntur dicta iocorum,
nullius subitos adfert iniuria risus;
unus amicitiae summos tenor ambit et imos.
rara domus tenuem non aspernatur amicum
raraque non humilem calcat fastosa clientem;
illi casta licet mens et sine crimine constet
vita, tamen probitas cum paupertate iacebit.
sed lateri nullus comitem circundare quaerit,
quem dat purus amor, sed quem tulit impia merces;
nec quisquam vero pretium largitur amico,
quem regat ex aequo vicibusque regatur ab illo,
sed miserum parva stipe focilat, ut pudibundos

vs. 110. Pro *beatum* Cuper. Observ. III, 1 p. 264 vult *reatum* i. aeris alieni reum, quod Wernsd. et Bk. recte improbant.

vs. 112. *preciosius* Mic. 1. 3. JUN. Scal. 1. 3. BM. Francof.

vs. 113. *diligit* Sic. Lugd. 1. 3. Mic. 1 (et a. 1612) Colon. 1. 2. Francof. *diligis* Bas. (?). Lugd. 2. IUN. etc. — *colentum* SIC. Bas. Lugd. 2. 3. BM. et pro v. l. Cort., laudatum et a Meibom. in Maecenat. p. 103 et probatum M. Lag. *clientum* JUN. et pro v. l. ex duobus libris Bersm., comparans vs. 109 *cultorum*; cf. et vs. 133.

vs. 116. *subito* Lugd. 2. — *offert* Bk. *infert* Meibom. l. l.

vs. 120. *illi* Tollius [v. d. apud Cortium] in Auson. [Id. IV, 2] p. 309 id quod fugit Beckium. *UNG. illi* probant Cort. et Reich.; in contextum recepit Bk. Editiones omnes *illic*. — *mens* deest Sic.: primo (?) addidit Bas.

vs. 122. *et* pro *sed*, quod Laur. Santen in literis ad Wernsd. datis suaserat, hic et Web. probant Klussmann in Philol. 1856 p. 591 sq. scribit *sic*, cujus de significatione attulit Lachmann. ad Propert. I, 23, 6 et Hertzberg. ib. ad I, 19, 16. *nam* pro *sed* mavult Bk. *circundare* SIC. Lugd. 3. JUN. BM. *circumdare* Co. Hd. Bk.; cf. vs. 19 et C. L. Schneider. Gr. L. II. p. 536.

vs. 124. *precium* Mic. 1. 3. JUN. Scal. 1. 3. BM.

vs. 125. *rogatur* Lugd. 3.

vs. 126. *focilat* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. Mic. 1. 2. 3. BM. Francof. Colon. 2 et pro v. l. Cort.; *munerat* JUN. CO. Hd. Bk. et pro v. l. ex Jun. et Scal. Bersm. [*munerat* affert Lips. ad Senec. Constant. II, 11 p. 180. *UNG.*] *focilat* θωπεύει probat Casaub. ad

Sic. Iun.

exercere sales inter convivia possit.
ista procul labes, procul haec fortuna refugit,
Piso, tuam venerande domum; tu mitis et acri
asperitate carens positoque per omnia fastu
inter ut aequales unus numereris amicos,
obsequiumque doces et amorem quaeris amando.
cuncta domus varia cultorum personat arte,
cuncta movet studium; nec enim tibi dura clientum
turba rudisve placet, misero quae freta labore
nil nisi summoto novit praecedere vulgo,
sed virtus numerosa iuvat. tu pronus in omne
pectora ducis opus, seu te graviora vocarunt,
seu leviora iuvant; nec enim facundia semper
adducta cum fronte placet. non semper in armis
bellica turba manet, nec tota classicus horror
nocte dieque gemit, nec semper Cnosius arcum

Sueton. Octav. 17, quod in aetate carminis panegyrici definienda pondus habere Ung. p. 276 voluerat et in epistola mihi scripta compluribus veterum glossariorum locis comprobavit. Distinguendum est inter *focillare*, quo utuntur Senec. Ep. 13, 14; Plin. Ep. III, 14, 4; 16, 12; Suet. Oct. 17, 1, Non. ex Varrone 7, 108 p. 481 (ubi est deponens) et inter *foculare* s. *focilare*, quod habet Non. 1, 31 p. 10 explicans *fovere* et media inprimis latinitas usurpasse videtur, noster autem poeta contra legem prosodiacam scripsit. — *pudibundus* Sic. Lugd. 1. Mic. 1. 2. Colon. 1. 2. Francof. *pudibundos* Bas. (?). Lugd. 2. 3. IUN. etc.

vs. 128. *ipse procul livor* SIC. Bas. Mic. Lugd. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. et pro v. l. Cort., qui *iste* per errorem exhibet; *ipse p. livor* reprobat Wernsd. *ista pr. labes* IUN. CO. Hd. Bk. et pro v. l. Bersm. eam probans. *labes* pro v. l. Sic. Bas.

vs. 130. *casta* vitiose Mic. 2.

vs. 131. *et* pro *ut* vitiose Aurel.

vs. 132 *amando quaeris amorem* scriptum affert Barth. in Claudian. IV Cons. Hon. 283 p. 645. *UNG.*

vs. 136. *submoto* Bip. 2. — *volgo* Cort.

vs. 137. *promptus* pro v. l. Sic. Bas. V. *pronus* propensum Pisonis animum, v. *promptus* miram eius dexteritatem significari dicit Bk.

vs. 140. *abducta* Mic. 2. 3. BM. Colon. 2. et pro v. l., quam damnat, Cort. *adducta* SIC. Bas. cet. et ex tribus libris pro v. l., quam probat, Bersm. — *non semper* SIC. Bas. Mic. 1. 2. 3. Lugd. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. Francof. et pro v. l. Cort. *nec* IUN. CO. Hd. Bk. et ex Iun. et Scal. pro v. l. Bersm.

vs. 142. *fremit* coniecerat M. Lag., sed haesit, quum ipse alicubi (?) *classica rauca gemunt* legisset. — *non semper* SIC. Bas. (?) Mic. 1. 2. 3. Lugd. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. Francof. et pro v. l. Cort. *nec* IUN. CO. Hd. Bk. et pro v. l. Bersm. — *Gnosius* SIC. Lugd 2. Mic. 3. IUN. *Gnossius* Mic. 1. Lugd. 3. BM. Francof. Web. Hd. *Cnossius* Pulm. 2. CO. Bk. et in erratis pro *Gnosius* Pulm. 1. *Cnosius* optimum censet M. Lag. et commendat Ung. p. 269. — *arcus* SIC. Bas. Mic. 1. 2. 3.

Sic. hunc fora pacatum, bellantem castra decebunt. Iun
felix illa dies totumque canenda per aevum,
quae tibi, vitales cum primum traderet auras,
contulit innumeras intra tua pectora dotes.
mira subest gravitas inter fora, mirus omissa
paulisper gravitate lepos. si carmina forte
nectere ludenti iuvit fluitantia versu,
aonium facilis deducit pagina carmen;
sive chelyn digitis et eburno verbere pulsas,
dulcis apollinea sequitur testudine cantus
et te credibile est Phoebo didicisse magistro.
nec pudeat pepulisse lyram, cum pace serena
publica securis exultent otia terris,
nec pudeat, phoebea chelys si creditur illis
pulsari manibus, quibus et contenditur arcus.
sic movisse fides saevus narratur Achilles,
quamvis mille rates Priameius ureret heros
et gravis obstreperet modulatis buccina nervis.

vs. 158. *docebunt* SIC. Bas. Lugd. 1. 3. Mic. 1. 2. Francof. 1601 et 1649. *decebunt* Lugd. 2. Mic. 3.

vs. 159. *aevum* SIC. Bas. Mic. Lugd. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. Web. et pro v. l., quam probat, Cort.; *orbem* IUN. Hd. Bk. et pro v. l. ex duobus libris Bersm. Illud bene defendit Ung. p. 271 laudatis vs. 222 et 243.

vs. 160. *vitali c. pr. tr. aurae* legi vult. M. Lag.

vs 162. *omissae* vitiose Pulm. Pith.

vs. 163 *lepos, si* SIC. Mic. *seu* pro *si* coniec. Bk. sine idonea causa, ut monet Ung. p. 272.

vs. 166. *sivae* vitiose Lugd. 3. — *chelin* Sic.

vs. 167. *cantus.* Sic. *cantus:* Mic. BM.

vs. 170. *securus* Iun. Pulm. 1. Scal. 2. *securis* Pulm. 2 etc. — *exsultent* Iun. CO. Hd. Bk. — *ocia* Sic. Mic. Iun. Pulm. Pith. BM.

vs. 171. *pudeat, Phoebea chelys si* etc. BM. Reich. Bk., quod et Ung. in literis ad me datis probat; ceteri *pudeat Phoeb. chelys, si* etc.; cf. Bauer ad Sanct. Min. I, 3 p. 348. — Vs. 171. 172 ex priore adumbratione eius sententiae, quam poeta versibus 169. 170 felicius expresserit, ortos atque invito poeta in textu propagatos esse male putat Web.; est gradatio. Sensum loci particulis *εἰ δή* comparatis explicat Ung. p. 276 sq. — *Phoebaea* Pith. — *chelis* Sic. *chelybs* Francof. — *ullis* Colon. 1.

vs. 173. *sic movisse fides saevus n. A.* SIC. Mic. 1. 2. 3. Lugd. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. et pro v. l. Cort. *ipse fidem movisse ferox n. A.* IUN CO. Hd. Bk. et pro v. l. ex Scal, et aliquot libris Bersm. — *sic m. fidem* Bas.

vs. 174. *primaevus* Sic. Bas. Colon. 1. — *Hector* pro *heros*, quod vs. 176 redeat, coniecit Wernsd.; placet Webero, refutatur a Bk.

Sic. illo dulce melos Nereius extudit heros Inn.
pollice, terribilis quo Pelias ibat in hostem.
arma tuis etiam si forte rotare lacertis
inque gradum clausis libuit consistere membris
et vitare simul, simul et captare petentem;
mobilitate pedum celeres super orbibus orbes
plectis et obliquis fugientem cursibus urges;
nunc quoque vivaci scrutaris pectora dextra,
nunc latus adversum necopino percutis ictu.
nec tibi mobilitas minor est, si forte volantem
aut geminare pilam iuvat aut revocare cadentem
et non sperato fugientem reddere gestu.
haeret in haec populus spectacula totaque ludos
turba repente suos iam sudabunda relinquit.
te si forte iuvat studiorum pondere fessum
non languere tamen lususque movere per artem.

vs. 176. *ille* cum asterisco versui apposito Sic. — *extulit* Pulm. 2. Pith. Francof. 1601. 1649. Aurel. et pro v. l. Cort., quod Reich. recepit, quum *extudit* difficultatem indicet neque ad v. *dulce* quadret. *extudit* comprobat Bk.

vs. 177. *ibat in hostem.* A Schradero feliciter restitutum esse *Pelias ierat hasta* ait Kooten. in Il. Homer. Epit. 692 p. 199. *UNG.*

vs. 178. Vs. 178 (166) — 189 (177) Bk. propterea olim post vs. 208 (196) transpositos fuisse et transponendos esse putat, quod ex his ita collocatis Schol. Iuvenal. V, 109 sua de populo ad Pisonem latrunculis ludentem accurrere solito hausisset. Refutat eum Ung. p. 263.

vs. 179. *inque gradum.* Lips. (v. d. ap. Cort.) Saturn. II, 20 p. 971 emendavit *gradu*, quod pro v. l. Bersm. habet et Wernsd. comprobat. Vulgatum recte defendit Bk.

vs. 180. *et virtute* corrupte quidam Cort. teste coniecit. *utare* Colon. 1.

vs. 182. *plectis* Sic. Lugd. 1. 3. Mic. 1. Francof. *pectis* Bas. *plectis* i. implicas comprobat et Ung. p. 270; adde Phaedr. V, 2, 3 ibique criticos. *flectis* IUN. Lugd. 2. BM. CO. Hd. Bk.

vs. 183. *nunc quoque* SIC. Mic. 1. 2. 3. Lugd. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. et pro v. l. Cort. — *et nunc* Bas. (?) IUN. CO. Hd. Bk. et pro v. l. ex Scaligero Bersm. — *vivaci* non est mutandum; cf. Ung. p 275. Barth. (v. d. apud Cort.) Advers. XXVII, 14 p. 1300 ex MS. Eburon. habet *et nunc scrutaris vitalia pectora dextra*, quod ei non ineptum videtur, sed Wernsd. et Bk. non probabile propter v. *pectora* adiectum. — *scruptaris* VA., unde M. Lag., quum *scrutaris* nimis saevum sit in certamine ludicro, *sectaris* corrigit.

vs. 187. *cassu* Bas. et pro v. l. Sic.

vs. 188 *moeret* legitur in Lucan. Amstel. 1626, quod Cort. recte damnat. *haeret ad haec* melius h. l. legendum putat Wernsd., quem minus recte refutat Bk.; cf. Ung. p. 275.

Sic. callidiore modo tabula variatur aperta Iuv.
calculus et vitreo peraguntur milite bella,
ut niveus nigros, nunc et niger alliget albos.
sed tibi quis non terga dedit? quis te duce cessit 183
calculus? aut quis non periturus perdidit hostem?
mille modis acies tua dimicat: ille petentem
dum fugit, ipse rapit; longo venit ille recessu,
qui stetit in speculis; hic se committere rixae
audet et in praedam venientem decipit hostem. 186
ancipites subit ille moras similisque ligato
obligat ipse duos; hic ad maiora movetur,
ut citus et fracta prorumpat in agmina mandra
clausaque deiecto populetur moenia vallo.
interea sectis quamvis acerrima surgant 193
praelia militibus, plena tamen ipse phalange
aut etiam pauco spoliata milite vincis
et tibi captiva resonat manus utraque turba.

vs. 192. *calidiore* Mic. 1. Francof.; cf. Schol. ad Iuven. V, 109.

vs. 194. *sic et niger* Senftleb. de alea vet. c. 12 p. 1190 Gron. — *adliget* CO. praeter Reich.; *alliget* ceteri.

vs. 195. *qui te duce* Senftleb. l. l. vit. typ., ut videtur.

vs. 198. *recessu*. Sic. Mic. 1. 2. 3. Lugd. 3. BM. punctum addunt, quod et Cort. observavit, IUN. etc. comma.

vs. 199. *speculis* Mic. 1. 2. 3. BM. addunt comma; ceteri maiorem distinguendi notam. — *rixa* vitiose Bersm. 1.

vs. 201. *similesque* vitiose Reich.

vs. 202. Pro *obligat* Cort. (non Wernsd.) et hic coniec. *adligat*, quod probat M. Lag. — *tuos* Colon. 2. *duos* cum commate apposito et in fine versus cum puncto geminato Mic. 1.

vs. 203. [[*effracta prorumpat* v. d. [P. S.] apud Daniel. Souterium in Palamede p. 62. [c. 19 p. 1036 Gron.] *M. Lag.*]] Souter. ipse l. l. et c. 4 p. 1016 Gron. *et fracta perrumpat*. — *et tracta* Reich. — *prorumpas* vitiose Lugd. 3. — Senftleb. l. l. *agmine* vit. typ. — *mandra* puncto addito Francof.

vs. 204. *populentur* Mic. 3. Colon. 2. et Senftleb. l. l.

vs. 205. Senftleb. c. 12 p. 1191 legi vult *septis*, quem Wernsd. bene refellit. Vulgatum et M. Lagunae melius placet et obtineri posse idem dicit Senftleben. — *quamvis* Mic. 1. 3. BM.

vs. 206. *praelia* Sic. Mic. Lugd. 3. Iun.; *proelia* ceteri. — *ipsa* Sic. Colon. 1.

vs. 207. *aut* additus est asteriscus in Sic. — *spoliatus*, quod Wernsd. a Iun. editum esse falso putat, coniecit Cort. et recepit variandae constructionis causa Bk. Ceteri habent *spoliata*. — *vincis* cum puncto addito Francof.

Sic. sed prius emenso Titan versetur Olympo, Iun.
quam mea tot laudes decurrere carmina possint.
felix et longa iuvenis dignissime vita
eximiumque tuae gentis decus, accipe nostri
certus et hoc veri complectere pignus amoris.
quodsi digna tua minus est mea pagina laude,
at voluisse sat est; animum, non carmina iacto.
tu modo laetus ades; forsan meliora canemus
et vires dabit ipse favor, dabit ipsa feracem
spes animum; dignare tuos aperire penates,
hoc solum petimus. nec enim me divitiis auri
imperiosa fames et habendi saeva libido
impulerant sed laudis amor. iuvat, optime, tecum
degere cumque tuis virtutibus omne per aevum
carminibus certare meis; sublimior ibo,
si famae mihi pandis iter, si detrahis umbram.
abdita quid prodest generosi vena metalli,
si cultore caret? quid inerti condita portu,
si ductoris eget, ratis efficit, omnia quamvis
armamenta gerat teretique fluentia malo
possit et excusso dimittere vela rudente?

vs. 209. *Titam* Pith. — *mersetur* scil. oceano coniecit Wernsd. probante Bk., qui *versari* negat eam habere significationem, ut sit *vergere in occasus*.

vs. 211. *foelix* Mic. 1.

vs. 213. *ut hoc* Sic. Mic. 1. 2. 3. Lugd. 1. 3. Colon. 1. 2. Francof. *et hoc* Bas.(?). Lugd. 2. IUN. BM. CO. Hd. Bk.

vs. 215. *aduoluisse* Mic. 1. 3. — *carmina* et pro v. l. *carmine* Sic.

vs. 216. *forsitan* Bersm. 1. — *tenemus* Palm. Scal. Pith. Aurel. Maitt. et pro v. l. Cort. Errorem Scaligeri nisi forte eius, qui apographum cod. Atrebatensis curaverat, iam correxit Lindenbrog. ad Scalig. Append. 1595 p. 318. *canemus* SIC. Bas. Iun. etc.

vs. 218. *penateis* Scal *penatheis* Pith.

vs. 221. *impulerant* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. Mic. 1. 2. 3 BM. Cort. et Web. *impulerit* IUN. Aurel. Maitt. Bip. 1. 2. Hd Bk et pro v. l. Bersm. et Cort. *impulerunt* legendum putat Wernsd.

vs. 227. *quamvis* Mic. 1. 3. BM.

vs. 228. *ferat* IUN. CO. Hd. et pro v. l. Bersm. *gerat* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. etc.

vs. 229. *demittere* pro *dimittere* coniecit M. Lag.

Sic. Iun.

ipse per ausonias aeneia carmina gentes
qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum
Maeoniumque senem romano provocat ore,
forsitan illius nemoris latuisset in umbra
quod canit et sterili tantum cantasset avena
ignotus populis, si Maecenate careret.
qui tamen haud uni patefecit limina vati,
nec sua Vergilio permisit numina soli,
Maecenas tragico quatientem pulpita gestu
erexit Varium, Maecenas alta tonantis

vs. 230. *genteis* Palm. Scal. Pith.

vs. 231. *canit* pro *sonat* ex memoria, ut videtur, Meibom. de Maecen. p. 104.

vs. 232. *Moeoniumque* Cort. Bip. 1.

vs. 234. *quod canitet ster.* VA.; M. Lag., cui vv. *canit* — *cantasset* vix ferenda videntur, rescribit *quod cecinit sterili tantum modulatus avena*. Neque hoc, neque *cecinit sterili et* probaverim; cf. vs. 231.

vs. 235. *Mecoenate* Sic. Lugd. 2. 3. Mic. 1. IUN. Francof. *Moecenate* BM. Mic. 3.

vs. 236. *Et tamen* laudat Meibom. Maecen. p. 108. — Barth. Advers. XXII. 22 p. 1114 (cf. et XXIV, 14 p. 1198) [et in Grat. Cyneg. 98 p. 87 [p. 55]. *UNG.*] *lumina* scribendum suspicatur idque comprobat vs. 224 et vs. 256. Vulgatam defendunt Wernsd. et M. Lag.

vs. 237. *Vergilio* SIC. Mic. 1. Lugd. 2 3. Francof. — *numina* SIC. Lugd. 1. 2. 3. Mic. 1. 2. 3. BM. (non solus, ut Wernsd. ait,) Francof. CO. Hd. *nomina* Bas. IUN. Aurel. Reich. Bk. et pro v. l. Cort. *numina* tuentur Barth. Advers. XXIV, 14 p. 1198 et M. Lag., sed ille Augustum intelligens, hic pro se accipiens.

vs. 238. *Mecoenas* Sic. Lugd. 2. 3. Mic. 1. 3. Iun. Francof. — *carmina* pro *pulpita* ex memoria laudat Meibom. l. l. p. 108. — *caestu* SIC. Bas (?) Lugd. 1. 3. Mic. 1. 2. 3. BM. CO., quod Bk. damnat. *gestu* Lugd. 2. IUN. Hd. Bk. et (non *cacstu*, ut ap. Hd. per errorem,) pro v. l. Lugd. 1. 3. Mic. 1. 2. 3. Bersm. (ex tribus libris) Colin. 2. Cort *gestu* i. dramate, actu probant Wernsd. et Reich. Triller vero in Lucan. Cortii T. I p. XX, ut cothurnus tragicus intelligatur, Heyne ad Vit. Virg. Donat. XIV §. 53 et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 1, 11 emendant *gressu*, quod comprobat Weichert de L. Vario p. 64sq. Barth. Advers. XXIV, 14 p. 1198 emendabat *socco*.

vs. 239. *erexit* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. Mic. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. Francof. et pro v. l. Cort. damnatum a Bk. *evexit* IUN. CO. et pro v. l. ex Scal. et alio libro Bersm., quod probat Weichert. l. l. — *Varum* SIC. Lugd. 3. Mic. 1. 3. Bersm. Francof. *Varium* Lugd. 2. IUN. etc. Bersm. pro v. l. ex Scal. et alio libro, sic et Cort. — *Mecoenas* SIC. Lugd. 2. 3. Mic. 1. 3. Iun. — *tonantis* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. Mic. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. Bk. et pro v. l. Cort. *Toantis* IUN. Hd. et pro v. l. Bersm. *Thoantis* CO. Aurel. Locus corruptus, in quo iam multi sudarunt. Reich. *alta tonantis* pro *alte tonantis* cum v. *nomina* coniuncta ad unum refert Varium, quod probant Langius in Vindic. trag. Rom. p. 5, donec melius reperiatur, et Bk. Barth. Advers. XXIV, 14 p. 1198 (cf. et ad Stat. Theb. VIII, 239) vult *alta Latinos* pro *alta Toantis*. Barthii coniecturam fere omnes damnant, excepto Wernsd., qui tamen ipse *alta sonantis* vel *sonantum* corrigit idque T. V p. 1476 sq. comprobat. M. Lag. in tentando hoc loco sibi non satisfecit neque Heldius. E. Q. Visconti in Iconograf. Rom. Vol. II §. 7 p. 391 pro *Thoantis* substituit *Thyestae* s. *Thyestis* nomen tragoediae Varianae, quam coniecturam vulgatae nil praestare recte monet Weichert. l. l. Hic vero, sensum quidem loci *Maecenatis patro-*

Sic. Iun.

erui̇t et populis ostendit carmina vatis,
carmina romanis etiam resonantia chordis, 229
ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati.
o decus, in totum merito venerabilis aevum,
Pierii tutela chori, quo praeside tuti
non unquam vates inopi timuere senectae, 233
quodsi quis nostris precibus locus, et mea vota
si mentem subiere tuam, memorabilis olim
tu mihi Maecenas tereti cantabere versu.
possumus aeternae nomen committere famae,
si tamen hoc ulli de se promittere fas est 238
et deus ultor abest; superest animosa voluntas

cinia effectum esse, ut Romae prodirent poetae, qui sese opponere possent Graecis, a Barthio optime intellectum esse contendens, emendat *tenebris* pro *tonantis*, nimis a scriptura vulgatae recedens. Lachmannus, Hauptio teste de carmin. bucol. p. 37, scripsit *Macc. trag. quat. pulpita gestu Erexit Var., Maecenas a p t a t o g a t i s Eruit et populis ostendit a c u m i n a G a i*, ita ut poeta ad togatas sive trabeatas fabulas Melissi liberti respiciat; coniectura sane acuminis plena sed non apta. R. Unger denique, ex nomine Maecenatis repetito non iam de Vario esse sermonem recte colligens, primum p. 271 (ubi *carmina* pro *nomina* correxit), deinde in literis ad me benevole missis haec sic corrigenda esse censet: *Maecenas alta tonantis Eruit et populis ostendit c a r m i n a v a t i s, Carmina Romanis etiam resonantia chordis, Ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati*, quae vir acutissimus se in Cinnae commentariis mox edendis contra Weichertum et alios obtinuisse mihi indicavit. Coniecturam praeclaram recipere non dubitavi; fortasse tamen cum Wernsd. scribendum *alta sonantis*, ut ipse Horat. Sat. I, 4, 44 et Iuvenal. XI, 179 de Virgilio *altisonus*. Ipse versu 242 eiecto prius tentaveram *ostendit carmina Flacci*, sed *alta tonantis* s *sonantis* et *gracilis* aperte sibi respondent, quum varia poesis lyricae genera, quibus utebatur Horatius, significent. Neque *carmina Rufi* lyrici poetae (Ovid. P. IV, 16, 28) aut *Gracchi* tragici Horatianis bene opponi possunt. Praeterea mihi in mentem venerat *carmina laetis* vel *gratis* pro *nomina Graiis*, sed praefero Ungeri emendationem.

vs. 240. Vulgo *nomina Graiis*.

vs. 242. *chelin* Sic. — *facilis* pro *gracilis* voluit Cuper. Obss. I, 5 p. 29, sed postea ipse abiecit. — *profecit* VA., unde M. Lag. voluit *provexit*, ne idem vocabulum (cf. vs. 236) rediret. — *Arati* Sic. Lugd. 1. 3. Mic. 1. 3. Colon. 2. Francof. *Horati* Bas. (?). Lugd. 2. IUN. BM. etc.

vs. 243. *decus in totum — aevum* SIC. Bas. Lugd. 1. 2. 3. Mic. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. Francof. et pro v. l. Cort.; cf. vs. 222. *decus et toto — aevo* IUN. CO. Hd. Bk. et pro v. l. Bersm *et* cum addito *in* pro v. l. in marg. Sic. Noli scribere *in totum et — aevum*; cf. Virg. G. II, 40.

vs. 245. *nonnunquam* Sic. *non umquam* Cort.

vs. 248. *Mecoenas* Sic. Lugd. 2. 3. Mic. 1. 3. Iun. Francof.

vs. 250. *si tamen huic de se cuiquam* scriptum affert Mercer. in Aristaenet. I, 1 p. 242 [p. 11]. *UNG.*

vs. 251. *ultor abest* SIC. Bas. Lugd. 1. 3. Mic. 1. 2. 3. IUN. BM. Francof CO. Hd. Bk., ut sit Nemesis s. invidia, quemadmodum Mercer. l. l. recte explicat. *auctor* [*auctor* Bersm. Cort.] *adest* Lugd. 2. et pro v. l.

Sic. ipsaque nescio quid mens excellentius audet. Iun.
tu nanti protende manum, tu, Piso, latentem
exere; nos humilis domus et sincera parentum
sed tenuis fortuna sua caligine celat.
possumus impositis caput exonerare tenebris
et lucem spectare novam, si quid modo laetus
annuis et nostris subscribis, candide, votis.
est mihi, crede, meis animus constantior annis,
quamvis nunc iuvenile decus mihi pingere malas
coeperit et nondum vicesima venerit aestas.

Sic. Bas. Mic. 1. 2. 3. Lugd. 3. Bersm., non probans, et Cort. Negat se hanc lectionem in libro invenisse Wernsd.

vs. 253. *audenti* pro *tu nanti* teste Wernsd. praetulit Santen., qui et *tu nati* a viro docto ad hunc locum esse notatum scribit. Santenii coniecturae adversatur Bk. Burm. ad Propert. I, 6, 25 nihil tamen monens affert *tu vati*, quod et M Lag. invenerat ex *tu nati*, quod est in VA. — Pro *latentem* Burm. l. l. tentabat *iacentem*, quod reprobat M. Lag.

vs. 254. *exsere* CO. Hd. Bk. — *non humilis* iam Toll. in Auson. Grat. Act. p. 716, quod ignarat Beck. *UNG*. *non* pro *nos* correxerunt Hd. (cf. Praef. p. II propter verborum structuram et sensum loci nexumque) et Bk. (cf. Proleg. p. 11 sq.), qui et ante v. *parentum* distinguit. Heldii et Beckii coniecturam optime refutat Ung. p. 264 sq. — Pro *et sinc.* Lipsius in Lucani quodam exemplo bibliothecae Leidensis Wernsd. teste scripserat *at sinc.* — *syncera* Sic. Mic. 1. 3. Lugd. 2. 3. Francof.

vs. 255. Pro *sed* Reich. mavult *et*, nisi *celat* ita intelligas, ut de domo tantum usurpetur. Nihil esse corrigendum, sed *humilis domus et fortuna parentum sincera*, quibus *sed tenuis* opponuntur, esse coniungenda dicit Censor Hall. L. Z. 1837 Erg. 51 p. 403 sq. — *caelat* Sic. Palm. 1. 2. Scal. 1 3. Pith.

vs. 256. *exornare* Francof. et Ovid. 1649. Burm. ad Propert. I, 10, 15 emendabat *exsertare*, quod impugnat M. Lag.

vs. 258. *adnuis* Cort.

vs. 259. *est, mihi crede, meis* Mic. 1. *est mihi, crede, meis* ceteri.

vs. 261. *aetas* SIC. Lugd. 1. 3. Mic. 1. 2. 3. BM. Colon. 2. Francof. et pro v. l. Cort. *aestas* Bas. (?). Lugd 2. IUN. CO. Hd. Bk. et pro v. l. Mic. Lugd. 3. Bersm., ex tribus libris id probans, et Colon. 2. — Barth. in Advers. XLIX, 7, ordinem versuum Iunianum secutus, carmen non integrum ad nos pervenisse arbitratur, cuius sententiam Wernsd. p. 45 refellit. Finem panegyrici his versibus apte constitui docet Ung p 273.

Compendia scripturae, quae in adnotatione critica insunt, explicantur.

Amstel.	=	Ovidii Opera. Amstelod. 1649.
Amsterod.	=	Ovidii Opera. Amsterod. 1624.
Aurel.	=	Corp. vet. poet. lat. Aureliae Allobrog. 1611.
Bas.	=	Ovid. Amator. Basil. 1534.
Bersm. 1.	=	Ovid. Opera. Ed. *G. Bersmannus*. Lipsiae 1582.
Bersm. 2.	=	Lucanus. Ed. *G. Bersmannus*. Lipsiae 1589.
Bip. 1.	=	Lucanus. Biponti 1783.
Bip. 2.	=	Lucanus. Biponti 1807.
Bk.	=	Statii ad Calpurn. Pison. poemation. Ed. *C. Beck*. Onoldi 1835.
BK.	=	Bersmannus et qui eum sequuntur.
CO.	=	Cortius et qui eum sequuntur.
Colon. 1.	=	Ovidii Amatoria. Colon. Agripp. sine anno (post 1555).
Colon. 2.	=	Veterum poet. carmina. Colon. Agripp. 1590.
Cort.	=	Lucanus. Ed. *G. Cortius*. Lips. 1726.
Francof.	=	Ovidii Opera. Francofurti 1601.
Hd.	=	Incerti auctor. ad Calpurn. Pison. carmen. Ed. *I. Held*. Vratislav. 1831.
Iun.	=	Hadr. Iunius. Animadversor. Libri sex. Basileae 1556.
IUN.	=	Iunius et qui eum sequuntur.
Lem.	=	Poetae Lat. Minor. Ed. *N. E. Lemaire*. Paris. 1824.
Lugd. 1.	=	Ovidii Amatoria. Lugdun. 1540.
Lugd. 2.	=	Ovidii Amatoria. Lugdun. 1550.
Lugd. 3.	=	Ovidii Amatoria. Lugdun. 1555.
M. Lag.	=	Martini-Laguna in Addendis ad Wernsd. T. IV. 1785.
Maitt.	=	Opera vett. poet. lat. Ed. *M. Maittaire*. Londini 1713.
Mic. 1.	=	Ovidii Opera amatoria. Ed. *Iac. Micyllus*. Basil. 1549.
Mic. 2.	=	Ovidii Opera amatoria. Ed. *Iac. Micyllus*. Francof. 1575.
Mic. 3.	=	Ovidii Heroides etc. ex postrema *I. Micylli* recognit. Francof. 1579.
Pith.	=	Epigrammata et poemata vetera. Ed. *P. Pithoeus*. Lugd. 1596.
Pulm. 1.	=	Lucanus. Ed. *Th. Pulmannus*. Antverp. 1564.
Pulm. 2.	=	Lucanus. Ed. *Th. Pulmannus*. Antverp. 1576.
Reich.	=	Sylloge opuscul. veter. poetic. Ed. *H. G. Reichardus*. Lips. 1793.
Scal. 1.	=	Virgilii Appendix. Ed. *Ios. Scaliger*. Lugduni 1573.
Scal. 2.	=	Virgilii Appendix. Ed. *Ios. Scaliger*. Antverp. 1575.
Scal. 3.	=	Virgilii Appendix. Ed. *Ios. Scaliger*. Lugduni Bat. 1595.
Sic.	=	Ovidii Opera amatoria. Ed. *Io. Sicardus*. Basil. 1527.
SIC.	=	Sicardus et qui eum sequuntur.
UNG.	=	Unger in notis manuscriptis.
Ung.	=	Unger in censura edit. Beckianae apud Iahn. VI p. 261 sqq. (1836).
VA.	=	Codex Varsaviensis.
Web.	=	Corp. poet. lat. Ed. *G. E. Weber*. Francof. 1832.
Wernsd.	=	Poetae lat. min. Ed. *J. Ch. Wernsdorf*. Tom. IV. Altenburgi 1785.

INDICES

LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE HIBERNUM

INDE A D. XXII. M. OCTOBR. MDCCCLX. USQUE AD D. XVI. M. MARTII MDCCCLXI.

HABENDAE PROPONUNTUR.

Insunt *C. F. Weberi adnotationes ad carmen panegyricum Pisonis.*

MARBURGI.

TYPIS ACADEMICIS ELWERTI.

1860

ACADEMIAE MARBURGENSIS

PRORECTOR CUM SENATU

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS

S. P. D.

Anno praeterito *Anonymi carmen panegyricum ad Pisonem* non tamquam prorsus emendatum et ex toto restitutum, sed in quo compluria corrigenda rectiusque explicanda superessent, eo potissimum consilio in lucem edidimus, ut sodales seminarii nostri philologici annotatione critica in subsidium vocata ingenium suum in maculis eius carminis investigandis castigandisque exercere possent. Quod quum in scholis aestivis anni prioris ex parte factum sit, eius rei nonnulla certe testimonia atque documenta vobis, dilectissimi Commilitones, nunc proferre ab instituto libelli huius academici non absonum est visum.

Vs. 8—10.

— Quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
atria, quid pleni numeroso consule fasti
profuerint, si vita labat?

Cortius pro *fulta*, non constat qua de causa, sed fortasse propter v. *imaginibus*, quod cum v. *fulta* non bene quadrare videtur, adstipulante Burmanno ad Anthol. Lat. T. I. p. 207 coniecit *culta*. Vulgatam recte defendunt Wernsdorf. et Beckius, sed neuter animadvertit neque *atria culta* pro *ornata* dici posse, neque *fulta* propter v. *labat*,

cui *fulta* a poeta opponitur, corrigi debere. *Fulciendi* vero et *effulciendi* vocabula proprie usurpantur de porticibus, postibus, trabibus etc., ut (quos locos interpretes laudant) Iuvenal. VII, 182 *Numidarum fulta columnis — coenatio* et Stat. Theb. I, 144 *montibus — alte graiis effulta nitebant atria.* Et bene dicuntur *atria* h. l. *fulta*, quia in atriis erectae solebant esse columnae, quibus imagines maiorum et insignia victoriae affigebantur. Neque tamen *atria fulta* de columnis intelligendum, quas ditissimi Romani ex terris peregrinis sibi petebant, sed de multitudine imaginum maiorum et de spoliis multis innumerisque, quibus atria sive columnae atriorum erant refertae atque repletae, ita ut insignia et tropaea quasi pro fulcris essent. Quam multitudinis imaginum signorumque triumphi notionem ut poeta accuratius exprimeret, usus est non modo plurali numero substantivorum sed etiam v. *triumphis*, quod multo plura quam v. *tropaeis* continens a Nic. Heinsio corrigi non debebat neque a Beckio in contextum recipi. Sensus verborum hic est: Quid columnae in atriis cum imaginibus maiorum et cum insignibus triumphorum erectae, si mores sunt depravati et vita corrupta?

Vs. 14—17.

Quid memorare necesse est,
ut domus a Calpo nomen Calpurnia ducat
claraque Pisonis tulerit cognomina prima,
humida callosa cum pinseret hordea dextra?

Cod. Varsav. habet *primā*, quamobrem Martyni-Laguna, quem repetita vocabulorum in *a* exeuntium terminatio offenderat, *primum* corrigit, probatum Reichardo qui subiectum desiderans etiam *primus* scribere vult, sed coniecturam *primus* id est Calpus neque grammatica ratio concedit neque historia rerum probat. *Primum* autem non quadrat, cum gens Calpurnia cognomen *Pisonum* non bis saepiusque sumserit, neque *primo,* ac si eadem gens cognomen Pisonis iam ab initio habuisset, postea vero deposuisset. Sed recte legitur *prima*, quod non cum v. *domus* coniungendum est, ita ut Calpurnia gens alii genti opponatur, cui et rerum historia adversatur, quum nulla alia gens cognomen *Pisonis* assumserit, et sedes obstat vocis *prima* in fine versus pro *primaque — clara* positae atque a vocabulo *domus* nimis remotae, sed quod collocatio verborum docet ad v. *cognomina* pertinet, ita ut alia Calpurniae gentis cognomina significentur. Etenim *prima cognomina* gentis sive *nominis* Calpurniorum erant *Pisones*, postea *alia* accesserunt *cognomina* ut *Flammae, Asprenates, Bestiae, Bibuli.* Vel si ad solos *Pisones* rem referre malis, *prima* dixit poeta, quia iidem *Pisones* praeter hoc et aliud cognomen *Frugi* tulerant. Coniungi autem inter se possunt *clara cognomina prima*, quum *prima* praedicative positum sit et duo substantivi adiectiva, quorum alterum est attributum, alterum praedicatum, ita vulgo collocentur, ut substantivum sit medium (quemadmodum h. l.; cf. Krueger. Grammat. lat. § 685), et adiectivum quod inhaeret vel attribuitur substantivo plerumque, ut h. l., praemittatur. Poeta, quod collocatio verborum indicat, hoc sibi vult, *primum* Calpurniae gentis *cognomen* fuisse *Pisonum* inde profectum, quod hordea pinsebant.

Vs. 18. 22—26.

Nec si cuncta velim breviter decurrere possim;
— — — — manus sed bellica patrum
armorumque labor veteres decuere Quirites
atque illos cecinere sui per carmina vates.
nos quoque pacata Pisonem laude nitentem
exaequamus avis.

Nexus sententiarum subobscurus est. Reichardus hunc invenisse sibi visus est: *Arma et bella veteres Romanos adhuc rudes moribus et litteris incultos maxime videbantur decere, unde et bellicas maxime eorum laudes poetae Romani Ennius c. c. et alii recte cecinerunt; at nostra aetate, quae est longe cultior, — etiam aliis quam bellicis virtutibus laus et immortalitas parari possunt, quales tu, Piso, mereris etc.* Sed oppositio illa, quam Reichardus vult, in sententia non apparet, cui repugnant certe vv. *nos quoque.* Neque Martyni-Laguna nexum sententiarum percepit, qui particula *sed*, quam non recte intellexerat, in *si* et distinctione ante *nos* ita mutata, ut apodosis a vv. *nos quoque* incipiat, hunc statuit sensum et nexum: *Si maiores nostri propter bellicas laudes non caruere virtutum suarum praeconio, nos quoque Pisonem, pacata laude nitentem, carmine mactemus.* Lagunae coniectura displicet, quum nexus vs. 22 cum verbis prioribus nullus appareat et particula coniunctiva desit, tum non poetae veteres *(vates)* et recentes *(nos)* opponantur, sed res gestae laudesque bellicae atque pacatae. Particula *sed* respicit ad vs. 18, ut sit nexus et sensus hic: Nec breviter decurrere possim priscorum Pisonum titulos et bella, sed etiamsi possim cuncta commemorare, nolim sive non opus est, quum nunc non veteres Pisones praedicandi sint, quibus laudi et honori erant *(decuere* ut recte in Cod. Varsav.) res bello fortiter gestae, sed recentes, qui pacatis virtutibus nitent, qualis est Piso, et quum veteres illi carminibus praedicati iam suos invenerint vates, Piso contra poetae praeconium nondum sit nactus; atque ut veteres illi vates priscos Pisones laudibus ornarunt, ita nos quoque hunc Pisonem pacatis virtutibus bellicas maiorum aequantem per carmina celebramus.

Vs. 37—40.

Sed quae Pisonum claros visura triumphos
olim turba vias impleverat agmine denso,
ardua nunc eadem stipat fora, cum tua moestos
defensura reos vocem facundia mittit.

Haec est Sicardi primi editoris aliorumque, qui eum sequuntur, scriptura; Iunius et qui recentiores carmen panegyricum evulgarunt habent *Quaeque patrum claros quondam visura triumphos* ex emendatione, quum *sed* particulam non intellexissent. *Quaeque* vero propter *que* adiunctivum stare non potest, quum sententia ad priora non accedat quasi additamentum explicandi neque prioribus adhaereat, sed alia eademque nova, quae a prioribus diversa sunt, contineat; deinde non patet, quinam sint *patres*, num prisci Romani in universum an patres Pisones; denique displicet cumulatio vv. *quondam*

olim (qualis apud Terentium Eun. II, 2, 15, non apud nostrum poetam fieri potest), praesertim quum *olim* de tempore diu praeterito, cui vs. 39 *nunc* opponitur, h. l. rectius dicatur, quam *quondam* i. q. quodam tempore de tempore praeterito in universum. Beckius *sed quae Pisonum claros* pro manifesta interpolatione habet. Nihil est corrigendum; *sed* non est tempora diversa distinguentis, ut nuper a nobis scriptum est, sed poetae se corrigentis et spectat ad vs. 32 *quin age maiorum — tuorum scande super titulos et avitae laudis honores armorumque decus praecede forensibus actis*, ita ut nexus sit: sed quid te exhortor, ut superes res bellicas maiorum forensibus tuis actis, cum eloquentia tua in foro iam notissima sit; nam populus iam stipat fora etc.; vel: sed iam antecessisti titulos maiorum tuorum; nam populus, qui olim impleverat vias, triumphos maiorum tuorum visurus, nunc stipat eadem fora te dicentem auditurus. Iam *Pisonum*, quod ad v. *maiorum* vs. 32 respicit, propter *sed* necessarium est et *ardua*, quod cum *turba*, non cum *fora* coniungi debet, coronam erecta cervice stantem et attento animo audientem significat, ut Turnus apud Virgil. Aen. IX, 53 equo vectus dicitur *campo sese arduus inferre* i. e. erectus, circumspiciens, et apud Horat. Sat. I, 2, 88 *ardua cervix equi*. Ceterum ad fulciendam nostram coniecturam *Cicerone iubente* pro corrupto *Cicerone iuventae*, quam vs. 35 in contextum recepimus, cf. Quintil. X, 1, 112 *Cicero non immerito ab hominibus aetatis suae regnare in iudiciis dictus est, apud posteros vero id consecutus.*

Vs. 49. 50.

Sic auriga solet ferventia Thessalus ora
mobilibus frenis in aperto flectere campo.

Auriga, quod descendit ab *ago* et *aurea* i. freno, ἡνίοις, sive ab *oreis* frenorum parte, ut docet Festus p. 8 Lind. *Aureax auriga aureas enim dicebant (v. dicebatur) frenum, quod ad aures equorum religabatur, oreas,* (Lind. *orias) quo ora coercebantur*, non solum dicitur is qui cursum regit inprimis in ludis Circensibus equorum agitator, sed etiam, ut recte explicant I. I. Scaligerus et Barthius, eques, inprimis eques artifex, praeterea eques solitarius, quem dicunt, κέλης, qui equo solo vehens eum regit, ut vs. 52 singularis *quadrupes* et vv. *calce incitat* ostendunt. Cuius vocabuli hac significatione dicti, quod sciamus, nullum exstat exemplum. Neque h. l. de certamine in ludis Circensibus sermo est, sed in universum de arte equitandi; hinc vs. 50 *apertus campus* laudatur, non *Circus*, neque certamina solitaria equitum in Circo instituta commemorantur; locus certe Sueton. Calig. 55 *incitato equo — familiam et supellectilem dedit* rem dubiam non comprobat.

Vs. 51—54.

Qui modo non solum rapido permittit habenas
quadrupedi, sed calce citat, modo torquet in auras
flexibiles rictus et nunc cervice rotata
incipit effusos in gyrum carpere cursus.

Verba *torquet in auras* desunt in antiquissimis editt. Sicardi et Basil.; primum, ut videtur, apparent in Lugdun. 1, unde suppleta non constat. Cortius pro varia

lectione affert *aures*, quod sensu caret; Barthius, quum equi os in auras torquere dici non possit, coniecit *in armos*, qui opponuntur suffraginibus, secutus fortasse Virgil. Aen. VI, 882 *seu quum pedes iret in hostem, seu spumantis equi foderet calcaribus armos*, ubi *armi* sunt latera. Et sane h. l. non de concitando sed de compescendo et cohibendo equi cursu est sermo; retorqueri enim dicitur equus, quum post longum directumque cursum in breviorem gyrum sive orbem corripitur et coercetur. Tum vero caput equi retortum vel *in armos* sive in pectus deorsum compellitur, vel *in auras* sive in altum sursum trahitur. Itaque Barthii coniectura, quemadmodum Wernsdorf. eam interpretatur: *attrahere frenum et equum coercere*, admitti potest; sed ea non opus est neque *torquere in armos* alibi legitur. Vulgata optime se habet. Auriga sive eques ita coercet equum et adducit habenas, ut equus pedes priores erigat, arrectus se tollat, auras ungulis quasi petere videatur; etenim *in auras* est i. q. in altum, ut apud Virgil. G. IV, 109 de aurigis ipsis: *Iamque humiles iamque elati sublime videntur aera per vacuum ferri atque assurgere in auras.* Quod sequitur *cervice rotata*, cuius loco Ungerus v. d. voluerat *retorta*, significat equi, oblique modo in dextram modo in sinistram flexi, cervicem in gyrum conversam et inclinatam.

Vs. 89. 90. (vs. 77. 78).

Quin etiam facilis romano profluit ore
Graecia cecropiaeque sonat gravis aemulus urbi.

Postquam poeta Pisonem de iuventute Romana in controversiis excolenda optime meritum laudibus celebravit, nunc ad eiusdem indolem in utraque lingua et graeca et latina etiam declamantis, ut posteriora docent, transit. Offendit vero in loco allato mutatio subiecti, quum pro Pisonis persona, quam poeta antea dixerat, nunc aliud subiectum *Graecia* positum sit et in iis quae sequuntur *gravis aemulus* quo referenda sint nescias, quamquam si per legem grammaticam liceret, ea lubenter cum Pisone subiecto coniungeres. Itaque Nic. Heinsius pro *gravis* coniecit *favus*, ut sit id quod mel eloquentiae, quam coniecturam Wernsdorf. merito repudiavit. Sed quod ipse suspicatus est *sonas* pro *sonat*, quamquam facilius ad Pisonem referri potest, inconcinnitatem structurae auget, quum transitus a tertia *(Graecia)* ad secundam personam fieri h. l. non possit, nisi prius addito *tibi* i. e. Piso. Accedit altera inconcinnitas. Etenim dum in utroque versu singula vocabula accuratissime sibi respondent et inter se concinunt, *facilis* et *gravis, romano ore* et *cecropiae urbi, profluit* et *sonat,* aperte vv. *Graecia* et *aemulus* non habent quocum conferantur. Deinde quamquam *sonare* de oratore dicitur, (cf. Cic. Brut. 74, 259 *Cotta sonabat contrarium Catulo subagreste quiddam*) tamen cum v. *profluit* comparatum, quod fere idem exprimit, abundare videtur. Gravissimum vero vitium inest in v. *Graecia,* quod editores pro lingua graeca accepisse videntur, id quod nullo modo fieri potest. Vocabulum, ut ex prioribus patet, corruptum est. Proposuimus nuper *sermo* pro *Graecia,* quod cum seq. *aemulus* in structura bene convenit, praesertim si *graecus* pro *facilis* scribitur, sed coniecturae nimium a literarum ductibus recedunt et aliis de causis displicent. Loci difficultas, nostra quidem sententia, optime tollitur,

si scribimus *gratia* pro *Graecia*, quod vel ex glossa v. *cecropiae* vel ex commutatione ortum est, et *sonus* pro *sonat*, ita ut sermonis *gratia* et *sonus* intelligatur. Poeta in Pisone aequam laudat facilitatem et gratiam orationis latinae atque gravitatem et aemulationem sermonis attici sive graeci. Et hanc emendationem menti poetae respondere apparet ex loco, qui postea legitur vs. 162 sq. (150 sq.), ubi Pisoni perinde *gravitas* ac *lepos* attribuitur: *Mira subest gravitas inter fora, mirus omissa paullisper gravitate lepos.* Et recte utitur poeta v. *soni*, quod cum pronuntiationem, tum elocutionem in arte oratoria positam exprimit; cf. Cic. de Orat. II, 13 *Xenophon leniore quodam sono est usus, et qui illum impetum oratoris non habeat;* adde I. C. T. Ernesti Lexic. technol. Latin. rhetor. p. 365 sq. Iam omnia inter se congruunt sibique respondent *facilis gratia* et *sonus gravis, romano ore* et *cecropiae aemulus urbi*, ita ut v. *profluit* utrique sententiae sit commune et tertia persona in his et in iis quae sequuntur cum subiecto suo bene procedat, dativus vero *ei* facile suppleri possit.

Vs. 100. 101. (vs. 88. 89).

Sed super ista movet plenus gravitate serena
vultus et insigni praestringit imagine visus.

Praestinguit, quod a solo Pulmanno commendatum Reichardus in contextum recepit, in plerisque scriptorum locis ubi legitur dubium est, neque huic loco convenit, cum sit id quod obscurare, debilitare, extinguere. Saepius in MSS. commutantur *praestringere* et *perstringere* (cf. Drakenb. ad Sil. Ital. I, 358), quae oculorum aciem plus minusve nimio splendore obtusam vel percussam significant. Itaque et h. l. scribendum esse videtur *perstringit*, quod melius quadrat, laudes Pisonis augens, cuius vultus primum audientes in universum movisse, deinde eorum oculos perculisse atque animos percussisse dicitur; ut Liv. I, 25,4 *horror ingens spectantes perstringit*, et Plin. H. N. II, 16 (18) *solis — radii visus perstrinxere nostros.* Desideratur vero obiectum verbi, quare *visus* non est nominativus, qui post *vultus* languet, sed accusativus, nisi malis *visum* scribere; sed pluralis magis placet exprimens Pisonem oculos auditorum perstrinxisse, quotiescunque aliquis eum intuebatur.

Vs. 109—111. (vs. 97—99).

Quis tua cultorum, iuvenis facunde, tuorum
limina pauper adit, quem non animosa beatum
excipit et subito iuvat indulgentia censu?

Poeta, qui antea de animi virtutibus Pisonis dixerat, de fide, liberalitate, probitate, nunc liberalitatem eius et beneficentiam laudans eum alloquitur *iuvenis facunde.* Sed quid quaeso rei est liberalitati et beneficentiae cum facundia? ea non opus est, si quis benignus, ut Piso, sua sponte beneficia tribuere velit. Vocabulum est corruptum; lege *iucunde* et epitheton recte se habet. *Iucundus* enim dicitur, qui non modo suavis et dulcis est, sed etiam alios iuvat et delectat, animum alicuius hilarem laetumque reddit; et quod proprie de rebus dicitur, de aqua, agris etc., etiam ad homines transfertur;

cf. Cic. Cat. IV, 6, 11; Cornel. Att. 16, 1; Plin. H. N. init. *imperator iucundissime.* Descendit enim a v. *iuvandi* quasi *iuvicundus,* qui alterum iuvat, auctor est alteri ut gaudeat, unde Cic. de Fin. II, 4, 14 *hanc quoque iucunditatem si vis transfer in animum; iuvare enim in utroque dicitur ex eoque iucundum.* Recte vero h. l. dicitur *iucundus,* qui cultores, clientes, pauperes adiuvat in iisque gaudium excitat; quapropter poeta et v. *iuvat* vs. 111 scripsisse videtur. Quod sequitur *animosa* Reichard. male explicat *indulgentia satis virium et animi habens ad vincendos avaritiae et diffidentiae insultus;* est potius id quod promta, studiosa, acris, quamobrem poeta vs. 111 addidit *subito,* neque est mutandum in *generosa,* cf. et vs. 251 (239) *superest animosa voluntas.* Ita Otho apud Tacit. Hist. I, 24, quem locum Beck. attulit, dicitur *animosus corruptor.* Adde Prudent. Psychom. 874 *animosa Fides mercata parabat.*

Vs. 118—123. (vs. 106—111).

Rara domus tenuem non aspernatur amicum
raraque non humilem calcat fastosa clientem;
illi casta licet mens et sine crimine constet
vita, tamen probitas cum paupertate iacebit.
sed lateri nullus comitem circundare quaerit,
quem dat purus amor, sed quem tulit impia merces.

Praedicat laudibus poeta virtutes Pisonis in consuetudine cum aliis conspicuas, veram amicitiam, ex aequo profectam, sine discrimine fortunae nataliumve et clientelam, quae solam probitatem spectet, comparatque Pisonem cum aliis, qui amicos tenues aspernentur et clientes humiles fastidiant; in quibus nihil est difficultatis, nisi v. *rara* a Bersmanno falso intellectum, quod ex usu poetarum et scriptorum post Augustum (cf. Ovid. Met. XI, 766 *nec Iliacos coetus nisi rarus adibat)* pro adverbio *raro* sive id quod *raro* fit dictum est, vel cum *non* coniunctum id quod *multae* significat, ita ut huc spectent, quae vs. 128 (116) sequuntur, *ista procul* etc. Sed quaeritur quid sibi velit *illi,* quod Cortio et Reichardo probatum Tollius coniecit pro *illic* et Beckius in contextum recepit. Alii *illic,* ex sequente *c* v. *casta* ortum, male servant, quum non habeat quo referatur et dativus propter *constet* exspectetur, sed nec *illi* aptum est, sive de *domo,* ubi perversus oritur sensus, sive de *clienti* intelligitur, ubi non omnia quadrant. Cur enim *clienti* soli *casta mens et vita* tribui debet? cur non et *amico?* Corrige *illis,* quod ad utrumque cultorem spectat, de quibus postea vs. 122 et vs. 124 sermo est, ad *comitem* s. clientem et ad *amicum* quos et antea vs. 114 significaverat vv. *probitas* (cf. vs. 121) *spectatur in illis.* Cohaeret vero *illis* cum prioribus, in quibus multae domus, a Pisoniana discrepantes, amicos et clientes aspernari dicuntur; quamobrem distinctio minor post v. *clientem* et maior post v. *vita* ponenda est. In omnibus porro editionibus vs. 122 *sed* legitur, quae particula post *tamen* nullum hic habet locum, quum neque corrigat, neque disiungat, neque opponat. Quae sequuntur *nullus comitem quaerit* cum prioribus potius coniuncta et concordantia ad idem redeunt, ad sententiam poetae explicandam *probitatem cum paupertate esse perituram.* Neque tamen cum

prioribus ita cohaerent, ut per copulam, quam Laur. Santenius voluit, simpliciter addita vv. *probitas cum paupertate iacebit* explicent. Exspectatur certe iacturam virtutis cum paupertate coniunctae accuratius declarari, non hominum in quaerendis amicis comitibusque perversitatem vituperari. Qualia vero nunc sunt verba apparent languida et frigida. Praeterea in sententia *probitas cum paupertate iacebit* aliquid inconcinni et imperfecti est; neque enim *probitas cum paupertate iacere* absolute dici potest, quippe quod neque semper, neque apud omnes fit, sed si res ita fert, ex tempore, pro re nata. Id quod interdum fit exprimendum fuit. Enuntiatum itaque non est integrum. *Probitas* autem per se non *iacet cum paupertate* vel propter paupertatem, sed ubi non magni aestimatur, in honore non habetur, quod a Pisone secus fieri poeta et antea vs. 114 (*probitas spectatur in illis*) affirmavit et postea vs. 128 sqq. repetit, ita ut quae ab aliis contraria fieri dicuntur interposita sint. Sensus itaque et nexus loci hic esse debet: Non raro nobiles tenuem amicum aspernantur et humilem clientem fastidiunt, licet uterque probus et castus sit; quod si fit probitas paupertatis peribit. Iam ex re, quae saepius fit vel facta esse dicitur vs. 118 sq. (*rara domus non aspernatur* etc.), poeta transit ad sententiam generalem, sed ex conditione pendentem, quae adesse debet, unde et temporum varietas (*calcat* et *iacebit*) explicanda est. Quamobrem ponenda est distinctio minor post v. *iacebit* et corrigendum *si* pro *sed*, quod (*s*;) in MSS. saepius cum *si* confunditur, ita ut quae sequuntur ad vs. usque 127, eodem modo inter se coniuncta, (*nullus comitem quaerit*, *quem dat amor sed quem tulit merces* et *nec quisquam largitur amico, quem regat ex aequo sed parva stipe focilat*) ab hac particula pendeant. Recte autem stat sententia, quae ita procedit: Pisoniana domus probitatem in quaerendis amicis et clientibus spectat, aliae contra domus amicos clientesque pauperes, licet sint puri castique, despiciunt; attamen si comites et amici non puro amore sed propter opes et mercede quaeruntur, mores probi integrique interibunt. Inde patet pro *sed* neque *sic*, quod Klussmannus coniecit, neque *nam*, quod Beckius voluit, ad h. l. quadrare. Denique notandus est praepositionis *cum* usus, quae conditionem indicat cum re aliqua ita coniunctam, ut inde explicetur quod rei accidisse dicitur, quasi sit dictum *propter paupertatem*; nam si divitiae in honore sunt loco virtutis, probitas cum paupertate coniuncta perit, cf. Handii Tursellin. T. II p. 155, quem Beckius laudat.

Vs. 124—127. (vs. 112—115).

Nec quisquam vero pretium largitur amico,
quem regat ex aequo vicibusque regatur ab illo,
sed miserum parva stipe focilat, ut pudibundos
exercere sales inter convivia possit.

Offensioni est v. *focilat*, quod male ab eadem stirpe atque v. *focillandi* repetunt et *fovet, mulcet, θωπεύει* interpretantur; prima enim syllaba, quae in v. *focillandi* corripitur (cf. Plaut. Pers. I, 3, 24 *focula*), in v. *focilat* h. l. producitur; quare *munerat*, quod in editione Iunii nonnullisque aliis legitur, aperte manum emendatricem prodit. Distinguendum vero est inter *focillare* s. *focillari*, quod ut *vacillare*,

cantillare etc. (cf. Duentzer Lat. Wortb. p. 145 et Krueger Gr. Lat. §. 256, 3) deminutivum est quoddam v. *fovendi* (cf. Lud. Schwabe de deminut. gr. et lat. p. 27) et a *focus* sive *foculus* (Liv. II, 12, 13) descendit, atque inter *focilare* s. *foculare*, quod repetendum est a *faucibus*, non a *focus*, ut Doederlein. Lat. Syn. T. VI p. 132 vult. Illud, quod Casaub. ad Sueton. Aug. 17 a *faucibus* male derivatum explicat *aegras fauces apposita lana fovere* et Gesner. in Thesauro *ignem flatu leni iterum excitare*, iam Festus s. v. *focus* p. 64 Lind. *a fovendo id est calefaciendo* dictum esse annotavit; *foculare* contra sive quod hoc loco et in Glossar. Lat. Graec. ex Cod. nr. 7692 apud Du Cang. T. III p. 332 legitur *focilare* Nonio auctore I, 31 p. 10 est i. q. fovere, nutrire. Additur tertium v. *focio*, quod exstat cum glossa *ψωμίζω, adesco, allicio* in Supplem. Antiquar. apud Du Cange l. l. et cum glossa *focro* sive *focio, adesco* ex cod. Sangerm. in Labbei Gloss. p. 248 (Lond.) et in Castigatt. Labb. p. 365 (Lond.); sed illud *focro* sive *focio* Hildebrand. in Gloss. Lat. secul. IX p. 12, 104 recte in *focilo* mutavit; nullum enim exstat vocabulum *focire*, quum verba coniugationis in *ire* non descendant a substantivis in *x* exeuntibus. Iam v. *focilandi* nostro loco aptum esse apparet, sive significat *adescare, allicere,* sive *nutrire, sustinere.* Neque opus est emendatione *focitat*, verbo inusitato, quod secundum analogiae legem (ut ex *vocare* fit *vocitare)* ex *focare* formare possis. Est enim *focilare* sive *foculare* frequentativum quoddam verbi *focare* in suffixum *il* (ex *ill* cf. Duentzer l. l. p. 145) vel in *ul* exiens, ut alia verba, *petulans (petulare)*, *ambulare*, *speculari* etc. cf. Krueg. Gr. Lat. l. l. not. 7. Proprie significat *focare*, quod superest in *perfocare, praefocare, suffocare,* i. q. fauces aliqua re claudere sive implere, quae actio si repetita esse dicitur, fit frequentativum *focilare* sive *foculare,* quod est cibum in os saepius inserere, cibare, *ψωμίζειν*. Inde translate dicitur quod glossaria bene exhibent *adescare, allicere* aliqua re. Et usus est poeta iterativo verbo, quia patronus dives pauperem clientem et amicum nummis illicere solet vel saepius inescasse, illexisse putandus est. Accedit quod vv. *parva stipe* addita significationem verbi optime adiuvant, quum divites in focilando id est inescando sive nutriendo parvulis rebus escae idoneis vulgo utantur.

Vs. 128—132 (vs. 116—120).

Ista procul labes, procul haec fortuna refugit
Piso tuam venerande domum; tu mitis et acri
asperitate carens positoque per omnia fastu
inter ut aequales unus numeraris amicos,
obsequiumque doces et amorem quaeris amando.

Unus ex paucis locis, in quibus Sicardum sequi non licet. Bene exhibet Iunius *ista procul labes,* quae ad priora spectant; *ista labes*, ubi non *amor purus* sed *merces impia* homines consociat, et *haec fortuna*, quam amici pauperes *inter convicia* salibus patiuntur. Quibus verbis poeta clausulam quandam prius ab eo dictis imponit et ad alias Pisonis virtutes, in consuetudine cum aliis conspicuas, ad comitatem, humanitatem etc. laudandas transit. Displicet autem Sicardi scriptura *ipse procul livor,* plurimis

editoribus probata, ut *haec fortuna* sit explicatio vocabuli *livor*, quod fieri non potest; adversatur huic explicationi anaphora *procul;* deinde poeta in verbis *procul haec fortuna refugit domum* non nova addit, sed priora, inprimis vs. 118. 119. dicta in unum complectitur, quare et v. *domus* repetiit; tum quae sequuntur *tu mitis et acri* etc. a prioribus *ista procul labes* etc. aperte distinguuntur, ita ut Piso multum ab aliis diversus dicatur *mitis*, obsequens, vere amans amicos; praeterea *livor* h. l. non quadrat, ubi de statu et conditione pauperum amicorum et clientum est sermo, et ubi quae sequuntur non ad *livorem* sed ad *labem* spectant, dum comitas et asperitas, fastus et aequalitas opponuntur; denique *ista labes* recte ad remotiora vs. 113. 121—123. (*tamen probitas — impia merces*) et *haec fortuna* ad proxima vs. 124—127 *(nec quisquam — convicia possit)* respiciunt.

Haec sunt, quibus vos, dilectissimi commilitones, sive novitii ad hanc Musarum aedem acceditis, sive stipendia iam meriti veteranive ad castra studiorum liberalium revertimini, salutatos esse volumus, indicibus lectionum praemissa, ut in nostra quoque academia disciplinam humanitatis omnium quas docemus literarum quasi fundamentum et incrementum et ornamentum haberi intelligatis et, quum tantae sit auctoritatis, primum ut par est obtinere locum aditumque ad ceteras scholas vobis aperire cognoscatis. Favete! Valete!

P. P. in Academia Marburgensi mense Augusti MDCCCLX.



I. LECTIONES ORDINIS THEOLOGORUM.

ERNESTUS LUDOVICUS THEODORUS HENKE, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., seminarii theol. Philippini ephorus, bibliothecae academicae praefectus, *1*) *publice exercitationes homileticas* solito more moderari perget; 2) *privatim a*) *historiam ecclesiae recentiorem* inde ab anno MDXVII usque ad haec nostra tempora narrabit quinis per hebd. scholis h. VIII, *b*) *homileticam et liturgicam* docebit quaternis diebus h. XI.

GUILIELMUS SCHEFFER, phil. et theol. Dr. hujusque P. P. O., Augustissimo Electori in senatu ecclesiastico a consiliis supremis, eccles. reform. per Hassiam superiorem inspector, 1) *publice societatem dogmaticam* die Lunae h. VI—VIII moderabitur; 2) *privatim a*) *Ioannis evangelium* et *epistolas* senis dieb. h. X interpretabitur, *b*) *de iure et constitutione ecclesiae evangelicae*, adiectis legibus ad res ecclesiasticas et scholasticas in Hassia nostra spectantibus, ter h. XI aut alia commoda disseret.

ERNESTUS RANKE, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Hassiae Electori a consiliis ecclesiasticis et h. a. decanus, 1) *publice a*) *passionem et resurrectionem Domini secundum evv. synoptica* exponet die Sat. h. X, *b*) *historiam textus Novi Testamenti* narrabit die Sat. h. XI; 2) *privatim a*) *evangelia Matthaei, Marci et Lucae ratione synoptica* explicabit scholis quaternis h. X, *b*) *introductionem in Novum Testamentum* tradet quat. scholis h. XI.

AUGUSTUS FRIDERICUS CHRISTIANUS VILMAR, philos. Dr., theol. P. P. O., a consiliis ecclesiasticis, ordinis electoralis Guilielmi eques, *1*) *publice examinatorium* quod dicitur instituet *de theologia dogmatica* die Merc. h. XI; 2) *privatim a*) *lectionem Scripturae Sacrae* continuabit quater h. XI, *b*) *theologiam dogmaticam* tradet senis scholis h. IX.

FRANCISCUS EDUARDUS CHRISTOPHORUS DIETRICH, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., *1*) *publice a*) *linguam arabicam* binis scholis h. XI, *b*) *borealem veterem* binis h. IV docebit; 2) *privatim a*) *Hebraeorum archaeologiam et historiam* quinis h. III exponet, *b*) *Vaticinia Messiana Vet. Test.* quat. dieb. h. II interpretabitur, adiuncto de iisdem *examinatorio* die Mercurii.

II. LECTIONES ORDINIS IURECONSULTORUM.

EDUARDUS SIGISMUNDUS LOEBELL, iur. utr. Dr. et P. P. O., academiae procancellarius, facult. iur. assessor ordinarius, ordinis elect. Guil. eques, *1) publice de bonis uxoris* secundum ius rom. dieb. Merc. et Sat. h. II disseret; 2) *privatim a) ius criminale* ad Feuerbachii librum sexies h. X, *b) processum criminalem* duce Martino quinquies h. XI tradet.

CAROLUS FRIDERICUS VOLLGRAFF, phil. ac iur. utr. Dr. huiusque P. P. O., facultatis iur. assessor ordinarius, 1) *publice* instituet *examinatorium in ius gentium* die Merc. h. IV; 2) *privatim* docebit *a) ius publicum* quinis dieb. h. II, *b) ius gentium atque civitatum confoederatarum* quinis diebus h. III, *c) ius naturae* sive *philosophiam iuris et civitatis* quinis dieb. h. XI.

CONRADUS BUECHEL, I. U. Dr. atque P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice de iuribus in rebus alienis* die Merc. et Sat. h. X disseret; 2) *privatim a) pandectas*, Puchta duce, senis diebus h. IX et II, *b) ius hereditarium*, eodem duce, quat. dieb. h. X profitebitur.

FRIDERICUS GUILIELMUS ROESTELL, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, *1) publice speculum saxonicum* interpretabitur die Sat. h. III; 2) *privatim* tradet *a) historiam iuris germanici* quinquies h. XI, *b) processum iuris civilis* quinquies h. IV et d. Sat. h. XI, *c) ius ecclesiasticum* quinquies h. V.

CAROLUS FRIDERICUS ALBERTUS KOEPPEN, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin. et h. a. prodecanus, 1) *publice* tradet *ius quod ad familiam pertinet* die Sat. h. III; 2) *privatim* docebit *a) institutiones iuris Romani* sexies h. XII, *b) ius hereditarium* quinquies h. III.

III. LECTIONES ORDINIS MEDICORUM.

GEORGIUS GUILIELMUS FRANCISCUS WENDEROTH, phil. et med. Dr., hujus et botanices P. P. O., hort. bot. praefectus, Augustissimo Electori a consiliis rerum medicarum intimis et ordinis electoralis Guilielmi eques, *1) publice conversatoria de rebus philosophiae naturalis*, inprimis ad medicinam spectantibus; *2) privatissime* sed *gratis demonstrationes botanicas* diebus horisque aptis commodisque instituendas offert.

IOANNES MAURITIUS DAVIDES HEROLD, phil. et med. Dr. bujusque P. P. O., instit. zoolog. director, Augustissimo Electori ab intimis rerum medicarum consiliis, *1) publice examinatorium et repetitorium de variis rebus ad primam zoologiae generalis et specialis partem spectantibus* offert die Ven. hora commoda; *2) privatim zoologiae generalis et specialis secundam partem, quae inde ab animalibus articulatis, crustacea, arachnida et insecta complectentibus, usque ad protozoa in universum animalia inferiorum ordinum comprehendit, arctissimo cum anatomia comparativa, physiologia et psychologia nexu iunctam*, quinqies h. II docebit.

CAROLUS FRIDERICUS HEUSINGER, med. Dr. et P. P. O., instituti medicoclinici director, Augustissimo Electori ab intimis rerum medicarum consiliis et ordin. elect. Guil. eques, *1) publice* instituet *examinatorium clinicum* die Sat. h. I; *2) privatim* docebit *a) pathologiam generalem* h. III, *b) pathologiam et therapiam specialem* h. II; *3) privatissime* moderabitur *clinicen medicam* h. X—XII, dieb. Lunae et Veneris h. XI.

HERMANNUS NASSE, med. Dr. et physiologiae P. P. O., instituti physiologici director et h. a. decanus, 1) *publice societatem physiologicam* moderabitur die Iovis h. VII—IX; *2) privatim a) partem physiologiae propaedeuticam* docebit sexies h. XI, *b) physiologiam sensuum* tractabit die Sat. h. II—IV, c) *exercitationes microscopicas* in instituto physiologico diriget quinquies h. II—IV.

GUILIELMUS ROSER, med. Dr. et chirurgiae P. P. O., instituti clin. chir. director, 1) *publice examinatorium de chirurgia* offert; 2) *privatim a) ophthalmologiam* quater h. VIII docebit et *b) de instrumentis* bis h. VIII disseret; 3) *privatissime clinicen chirurgicam* diriget h. IX dieb. Lunae et Veneris h. IX—XI.

IACOBUS HENRICUS HERMANNUS SCHWARTZ, med. Dr., artis obstetriciae P. P. O. et xenodochii obstetricii director, 1) *publice examinatorium de puerperii pathologia* offert; 2) *privatissime a) clinicen maieuticam* moderabitur dieb. Merc. et Sat. h. IV—VI, *b) instrumenta et operationes, quae ad artem obstetriciam spectant, explicabit eorumque usum exercitationibus practicis* illustrabit dieb. Lun. Merc. et Jov. h. XII—I.

FRIDERICUS MATTHIAS CLAUDIUS, med. et phil. Dr., anatomiae P. P. O. et instituti anatom. director, *1) privatim* disseret *a) de parte prima anatomiae specialis* h. XII, *b) de anatomia topographica secundum viva corpora et praeparata* ternis horis postmeridianis et *c) exercitationes practicas* in dissecandis corporibus moderabitur h. IX—I.

IV. LECTIONES ORDINIS PHILOSOPHORUM.

CHRISTIANUS LUDOVICUS GERLING, phil. Dr., math., phys. et astron. P. P. O., Augustissimo Electori a consiliis aulae intimis, *1) publice exercitationes physicas et astronomicas* moderabitur horis commodis; 2) *privatim* tradet *a) physicam experimentalem* quotidie h. VIII, *b) trigonometriam planam et sphaericam* h. e. partem primam geometriae practicae h. XI quinis diebus.

IOANNES FRIDERICUS CHRISTIANUS HESSEL, philos. et med. Dr., mineralogiae et technologiae P. P. O., disseret *1) publice de formis polyedricis secundae classis* dieb. Merc. et Sat. h. II; 2) *privatim a) crystallographiam* docebit quatern. dieb. h. II et *b) conversatoria* instituet *de rebus mineralogicis* dieb. Lunae et Iovis h. XI, c) *de rebus technologicis* dieb. Mart. et Ven. h. XI.

CHRISTIANUS KOCH, philos. Dr. et paedagogices P. P. O., quantum per senium et valetudinem licuerit, *publice* singulis commilitonibus duce libro suo *conversatoria historico-paedagogica* offerre perget horis liberis.

IOSEPHUS CAROLUS FRIDERICUS RUBINO, philos. Dr., philologiae et historiae P. P. O. et h. a. decanus, 1) *publice Pindari olympica carmina, praemissa introductione de Pindari vita et poesi* binis scholis h. v explanabit; 2) *privatim Graeciae antiquae historiam* quinis vel senis scholis h. xi tradet.

FRIDERICUS LUDOVICUS STEGMANN, med. et phil. Dr., P. P. O., 1) *publice de rebus analyticis examina* instituet die Sat. h. ii; 2) *privatim a) analyseos partem alteram, qua de calculo integrali ac de analyseos in geometria sublimiori explicanda usu agitur*, senis schol. h. iii tradet, *b) corporum fluidorum et aëriformium staticen et mechanicen* quaternis scholis h. ix docebit.

EDUARDUS ZELLER, phil. Dr. et P. P. O., 1) *publice de ratione inter rempublicam et ecclesiam* intercedente semel h. xi; 2) *privatim a) de logica et conditionibus cognoscendi* quater h. v, *b) de religionis notione et formis* quater h. vi disseret.

LEOPOLDUS FRIDERICUS ILSE, phil. Dr. et liter. polit. P. P. O., 1) *publice administrationem financiae* semel h. ix tradet; 2) *privatim a) politices part. II* quat. h. ix et *b) statisticen Germaniae* h. viii quinquies docebit.

HERMANNUS KOLBE, phil. Dr. et chemiae P. P. O., instit. chemici director, 1) *publice examinatorium de rebus chemicis* instituet; 2) *privatim chemiam anorganicam experimentalem* senis scholis h. ix docebit; 3) *privatissime exercitationes chemicas practicas* tempore sueto diriget.

CONSTANTINUS ZWENGER, med. et phil. Dr. et chemiae pharm. P. P. O., instituti pharmaceutico-chemici director, 1) *publice examinatorium de pharmacia et chemia* instituet; 2) *privatim chemiam organicam* quat. h. ix docebit; 3) *privatissime exercitationes chemicas* more solito quotidie diriget.

CAROLUS FRIDERICUS WEBER, philos. Dr., philol. et eloquent. P. P. O., seminarii philol. director, ordinis elect. Guil. eques, 1) *publice* sodalibus seminarii philologici *Velleium* interpretandum proponet ceterasque exercitationes philologicas reget et methodicen studii philologici tradere perget quater h. xii; 2) *privatissime* sed *gratis Aristophanis Pacem* explanabit dieb. Mart. et Ven. h. ii.

GEORGIUS WEISSENBORN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *publice historiam philosophiae inde a Kantio* tradet die Sat. h. iv—vi; 2) *privatim a) philosophiam religionis* docebit quinquies h. iv et *b) historiam philosophiae graecae et romanae* enarrabit quinquies h. vi.

GUILIELMUS DUNKER, philos. Dr., mineralog. et geolog. P. P. O., instituti mineral. academ. nec non geologici hassiaci director, 1) *publice examinatorium mineralogicum* instituet die Sat. h. x; 2) *privatim eam mineralogiae partem, quam dicunt oryctognosiam*, quinquies h. x docebit.

ERNESTUS ADOLPHUS HERRMANN, philos. Dr. et hist. P. P. O., 1) *publice a) historiam Friderici II regis Borussiae* semel h. x enarrabit, *b) exercitationes historicas* bis moderabitur; 2) *privatim historiam universalem saeculi XVIII* quater h. x docebit.

V. LECTIONES INSTITUTI POLITICO-OECONOMICI

GEORG. GUIL. FRANC. WENDEROTH,
CHR. LUDOV. GERLING,
IO. FRID. CHRIST. HESSEL,
LEOPOLD. FRIDERIC. ILSE,
ERN. AD. HERRMANN

suis locis commemoratae sunt.

VI. LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

HENRICUS HEPPE, theol. et phil. Dr. et theol. P. P. E., 1) *publice examinatorium de theologia dogmatica* die Sat. h. VI—VIII instituet; 2) *privatim a) theologiam evangelico-dogmaticam* quotidie h. IX binisque horis postea definiendis et *b) historiam dogmatum* quater h. IV docebit.

GUILIELMUS IULIUS MANGOLD, theol. Lic. et P. P. E., 1) *publice et vitae et doctrinae Pauli Apostoli delineamenta* die Merc. h. IX tradet; 2) *privatim a) encyclopaediam et methodologiam theologiae* quat. schol. h. IX vel alia hora adhuc definienda docebit, *b) epistolas Pauli ad Corinthios datas* quin. schol. h. X interpretabitur.

CAROLUS FUCHS, I. U. D. et P. P. E., 1) *publice processus definite, qui vocantur, summarios et processum concursus creditorum* semel h. V profitebitur; 2) *privatim a) practicum processuale et relatorium* quat. h. V instituet et *b) processum criminalem* quat. dieb. h. II docebit.

GEORGIUS IACOBUS FRIDERICUS SONNENMAYER, med. et chir. Dr. et ophthalmiatrices P. P. E., morbo laborans scholas habendas indicere nequit.

CAROLUS PHILIPPUS FALCK, med. Dr. et P. P. E., docebit *1) publice therapiam generalem* bis h. XII; 2) *privatim a) materiam medicam et pharmacokatagraphologiam* sexies h. IV et *b) medicinam publicam (medicinam et forensem et politicam)* quat. h. VIII.

CAROLUS REINHARDUS MUELLER, phil. Dr. et math. P. P. E., *1) publice a) analysin indefinitam primi ordinis* bin. schol. h. II, *b) algebrae elementa* bin. schol. h. XI tradet; 2) *privatim mathesin puram* quat. schol. h. XI docebit.

CAROLUS IULIUS CAESAR, philos. Dr., philol. P. P. E., bibliothecae academicae praefectus secundus, *1) publice a)* seminarii philologici sodalibus *Hesiodi Opera et Dies* interpretanda proponet bin. schol. h. XII, *b) prolegomena in mythologiam graecam* tradet d. Sat. h. X, *c) Persii satiras* explicabit dieb. Merc. et Sat. h. IX; 2) *privatim metricam Graecorum atque Romanorum artem* exponet quat. schol. h. IX.

FRANCISCUS VORLAENDER, philos. Dr. et P. P. E., *1) publice de Schleiermacheri philosophia* bis h. X disseret; 2) *privatim* docebit *a) logicen* quat. h. IX et *b) philosophiam iuris* quater h. X.

THEODORUS WAITZ, philos. Dr. et P. P. E., 1) *publice* instituet *disputationes de rebus philosophicis* die Merc. h. V; 2) *privatim* docebit *a) historiam philosophiae* quinquies h. III et *b) psychologiam* quater h. IV.

IOANNES FRIDERICUS LANGE, philos. Dr. et P. P. E., architectus academicus, *1) publice archaeologiam artis christianae* semel h. II tradet; *2) privatim a) historiam artium inde ab initio imperii Constantini M. ad nostra usque tempora* quat. dieb. h. XII

enarrabit, *b) antiquitates artis, rei domesticae et militaris Germanorum cum interpretatione veterum scriptorum ad eas spectantium* bin. dieb. h. IV exponet; *c) geometriam descriptivam* bin. dieb. h. XI docebit.

ALBERTUS WIGAND, philos. Dr. et P. P. E., instituti pharmacognostici director, 1) *publice a) de methodo et principiis scientiae naturae* disseret semel h. IV, *b) examinatorium pharmacognosticum* instituet die Ven. h. II; 2) *privatim a) ordines plantarum cryptogamicarum* explicabit ternis scholis h. III, *b) historiam evolutionis et metamorphosin plantarum* docebit bis h. III, *c) pharmacognosiam* tradet quat. h. II, *d) agriculturae principia* tractabit bis h. V; 3) *privatissime exercitationes pharmacognosticas* instituet die Sat. h. IX–XI.

GUILIELMUS SCHELL, phil. Dr. et P. P. E., 1) *publice* instituet *examina geometrica* die Sat. h. XI; 2) *privatim a) methodos recentiorum synthetico-geometricas* earumque usum in evolvendis sectionum conicarum proprietatibus docebit quin. schol. h. XI, *b) arithmeticam universalem* tradet quat. h. IV; 3) *privatissime harmonicen, theoriae musices partem priorem*, explicabit annexis auditorum exercitiis dieb. Merc. et Sat. h. III.

ADOLPHUS EBERT, phil. Dr. et P. P. E., 1) *publice linguam italicam* bis h. III docebit; 2) *privatim historiam literarum franco-gallicam* tradet bis h. III; 3) *privatissime linguam anglicam* docebit ternis scholis.

CONRADUS BROMEIS, phil. Dr. et chemiae et technologiae P. P. E., 1) *publice de rebus chemicis et technologicis* semel h. V disseret; 2) *privatim metallurgiam, technologiae secundam partem*, quat. h. IX et *b) technologiam* quat. h. XII docebit; 3) *privatissime exercitationes analytico-chemicas* instituet bis h. X—XII.

VII. LECTIONES PRIVATIM DOCENTIUM.

EDUARDUS VILMAR, phil. Dr., theol. lic., seminarii theologici Philippini maior primarius, 1) *privatissime et gratis a) linguam syriacam* docebit h. III, *b) capita selecta e Makrîzii et Ebn Khaldûni scriptis* explicanda proponet semel h. III; 2) *privatim et gratis partes poeticas, quae extant in Veteris Testamenti libris historicis*, binis scholis interpretabitur h. II.

VICTOR PLATNER, I. U. Dr., *privatim* docebit *a) ius germanicum privatum et feudale* senis dieb. h. XI, *b) historiam iuris germanici* quin. dieb. h. X, *c) ius cambiale et mercatorium* quatern. dieb. h. IV et *d) ius criminale* senis dieb. h. IX. Idem *e) examinatoria de diversis iuris disciplinis* offert.

FRIDERICUS VICTOR SCHMIDT, iur. utr. Dr., in tribunalibus, quae Marburgi florent, causarum procurator, *gratis practicum quod dicitur pandectarum secundum Girtanner, Rechtsfälle zu Puchta's Pandekten*, die Sat. h. II—IV instituet.

BERNHARDUS FRIDERICUS IULIUS WOLFF, I. U. Dr., 1) *privatim a) ius hodiernum praesertim Hassiae electoralis, quod ad hypothecas rerum immobilium pertinet*, bis h. V tradet, *b) exercitationes pandectarum* bin. aliis dieb. h. V instituet; 2) *privatissime examinatorium de iure romano* offert.

LEOPOLDUS EICHELBERG, med. Dr., *gratis* disseret *de selectis Hippocratis aphorismis* semel hora commoda.

HENRICUS HORSTMANN, med. Dr. et physicus Marburgensis, tradet *privatim* *a*) *medicinam publicam* iis, qui medicinae operam dant, quaternis scholis h. I, *b*) *medicinam forensem* iis, qui iurisprudentiae operam dant, scholis binis.

PHILIPPUS IACOBUS GUILIELMUS HENKE, med. Dr., 1) *gratis a*) *anatomiam atque motum articulorum hominis* die Sat. h. III vel die Ven. h. VIII; 2) *privatim physiologiam sensuum et motuum* docebit ternis dieb. h. VIII; 3) *privatissime scholas repetitorias de anatomia* desiderantibus offert.

VICTOR HUETER, Dr. med., 1) *gratis examinatorium et repetitorium de rebus obstetriciis* bis instituet; 2) *privatim de morbis neonatorum* bis disseret.

THEODORUS OTTO HEUSINGER, med. Dr., medicus in hac urbe practicus, *1) gratis de morbis cutis* semel h. XII disseret; 2) *privatim aegrotos explorandi methodos* ter h. XII explicabit; 3) *privatissime examinatorium et repetitorium de rebus ad praxin medicam spectantibus* offert.

FRIDERICUS ADOLPHUS HUGO ANTONIUS WUELLNER, phil. Dr., docebit 1) *gratis meteorologiam* bis h. X; 2) *privatim a*) *electricitatem et magnetismum* mathematice tractabit et experimentis illustrabit quinquies h. VIII, *b*) *opticam theoreticam* tradet quater h. X; 3) *privatissime* offert *repetitoria physica* horis commodis.

HENRICUS GUILIELMUS IOSIAS THIERSCH, philos. et theol. Dr., 1) *gratis Horatii epistolam ad Pisones* dieb. Mercurii et Saturni h. XI interpretabitur; 2) *privatim Euripidis Iphigeniam Aulidensem et Iphigeniam Tauricam* dieb. Martis, Iovis et Veneris h. X illustrabit.

CAROLUS IUSTI, phil. Dr., 1) *gratis interpretationes capitum selectorum ex Aristotelis Ethicis Nicomacheis* moderabitur semel h. XII; 2) *privatim logicam* quater h. IX docebit.

FRIDERICUS GUILIELMUS BENEKE, med. Dr., instituti pathologico-anatomici director, Augustissimo Electori ab intimis rerum medicarum consiliis, ordin. Guelph. Reg. Hannov. eques, 1) *publice* offert *conversatorium de quaestionibus ex pathologia et therapia speciali proponendis* die Saturni h. VI—VIII; 2) *privatim* docebit *anatomiam pathologicam nec non pathogenesin* quinquies h. V; 3) *privatissime* diriget *exercitationes microscopicas et chemicas* in instituto pathologico-anatomico ter h. XI—I.

Equorum subigendorum artem addiscere cupientibus non deest magister peritissimus neque hippodromi spatiosissimi copia; nec minus praesto sunt, qui instrumentorum mathematicorum physicorumque fabricationem, artem delineandi, musicen, armorum denique tractationem et saltationem recte doceant.



